MARTYRIUM B. MEMORIAE NICOLAI RUSCA ARCHIPRESBYTERI SONDRIENSIS IN...

Richardus Rusconera, Niccolò Rusco

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
21 C
15

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

85
G
36

J 300

MARTYRIVM
B. MEMORIÆ
NICOLAI RVSCA
ARCHIPRESBYTERI SONDRIENSIS IN RHETIA SVPERIORI, ſub Diœceſi Curienſi,

A LVTHEROCALVINIANIS PRAEDICANTIBVS IN EQVVLEI TORTVRA EXTINCTI,

ET EO IPSO TEMPORE QVO PLVRIENSE IN EADEM RHETIA GRISONICA MVNICIPIVM MONTIS RVINA opprimeretur.

SVB PATIBVLO PROPE TVSIVM SEPVLTI.

Coll. Rom. Soc. Jesu Cat. Inscript. B. S.

Acceſſerunt

Alia complura ſcitu non iniucunda, de tumultibus Rhetię confœderatorum, vulgò **Grawbünden.**

Inprimis Epiſcopi Curienſis ad gladium condemnatio, per ſententiam publicam ab iiſdem Miniſtris decretam & in Iudicio Tuſienſi pronunciatum.

A

Fr. RICHARDO A RVSCONERA
CATHOLICO HELVETIORVM CONCIONATORE.

INGOLSTADII,

Ex Typographeo Ederiano apud ELISABETHAM Angermariam viduam.

Anno Domini M. DC. XX.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PERQVAM REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, DOMINO PETRO SCHONFELDERO, SACRI ORDINIS CISTERCIENSIS, IN PERcelebri Monaſterio Langhemenſi, OSTROFRANCIÆ ſuperioris, Abbati digniſſimo, SS. Theolog. Doctori, Domino meo obſeruandiſſimo.

Salutem, & omnem à Deo felicitatem.

MEmini, perquàm Reuerende Pater ac Domine, quæ tibi mecum interceſſerit olim amicitia & familiaritas, vtiq; non Iniucunda, dum Heluetiorum meorum Catholicorum, compluribus annis, agerem concionatorē. amabas me, vt Fratrē, fateor; Et ego te viciſſim, vnicè, impēſiſſimeq; diligebam. Viget & floret, in Pectore meo, tui amor, & etiamnū, quotidianis adhuc, incrementis iuueneſcit, de reciproco in me tuo, non

eſt quod addubitem; ſexcentæ propemodum rationes, fiduciæ meæ forent in promptu, quibus enumerandis, volumen integrum, conſcribillari, & adimpleri oporteret; ſed præſtat modò tacere, quàm pauculas imperfectè recenſendo, anterioribus quod aiunt denticulis, tantum extrinſecus admordere, & interiora minimè penetrare. De re præſenti, nunc meus ad te ſermo; & quidem exlonginquo.

Deſcripſi Martyrium, Beatæ Memoriæ, Admodum Reuerendi Domini, Nicolai Ruſca, Archipresbyteri Sondrienſis, Conterranei mei, quē Miniſtri Zvvinglio Caluiniani, totius Griſoniæ Perturbatores, Anno ſuperiori, Catholicæ Religionis odio, ſub ipſa quæſtione, crudeliſſimę excarnificatum, infami, & barbarica prorſus Tyrannide, contrucidarunt. acceſsêre, res aliæ permultæ, Stylo pariter, & Poſterorum memoria, non indignæ. In me, lubens equidem, aſſumpſi, tam Eximij Martyris Elogium, vnicè exoptans, eius quondam participare præmium in Triumphante, cuius præclaræ Virtutes, adhuc mirificê coruſcant, in Ecclesia Militante; nec enim aliud, de Integerrima eius Vita, ſanctiſſimiſque

que Moribus, de tam Illuſtri, pro Eccleſia Dei, obito Martyrij agone, aut credere licet, aut lubet ſentire. Suum quod mille nominibus promeruêre, Miniſtris Prædicantibus, propudioſiſſimum propudium, & æternum perennaturam Confuſionem, tranſcribamus; Martyris Nicolai Decus, & lauream, ad immortalem, in qua digniſſimê floreat, memoriam conſecremus.

Et hac equidem de cauſſa, Nomini tuo, Digniſſime Præſul, quam prætexui hiſtoriolam, nuncupatum eo; vt ab Authoritate tua, qui vir es, non ſolum omnis literaturæ humanioris, peritiſſimus, ſed & Theologicarum, ſcientia rerum, Inſtructiſſimus, & inſuper, omni virtutum genere, nemini ſecundus, vt ſacri ordinis tui lumen, citra Inuidiam dixerim, haud immeritò appellari poſſis; vtrinquam, ab Authoritate tua, Exiſtimationem, quam ei faueo, & volo, ſortiatur. Tuo igitur ſub præſidio, in publicum prodeat hic libellus, & quàm meorum, præſertim Griſonicorum & Helueticorum Caluinicolarum, palato, erit felleus, amarus, & nauſeabundus; tàm Catholicorum legendi appetentiæ, ſit melleus & ſapidus, ac recreabundus. Vale Anti-

tiſtitum ordinis tui Boſphore, Columen, & ornamentum; auitæque Fidei Heluetium redama, certus, te ab eo reciprocè, candidè, ſinceriſſimeque amari. Locarni, ex Bibliothecula mea Helueto Catholica. Calend. Auguſti Anno M. DC. XIX.

Perquam R[dæ] Pat[ris] Tuæ

Seruus in Chriſto

Fr. Richardus à Ruſconera, Catholico Heluetiorum Concionator.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

PAucis, in limine huius, quem tibi offero, libelli, Candide lector, admonitum te volo. Frontiſpicium exterius, hiſtoriæ Titulum, præſefert, & exhibet; interiora, ſi penetres, quandoq; præter hiſtoriam, Apologeticum præcipuè dicendi genus, inuenies; ſed ignoſces, vt ſpero, ſtyli & ſcriptionis varietati; Materia talis, formam vix aliam admittebat: neq; enim alia elocutionis norma, aut qualitates, Zuuinglio Caluinianorum Rabularum, ſuis aptè coloribus depingi, neq; Calumniæ, in Archipresbyterum Martyrem, & in Epiſcopum Curienſem retegi, ac denudari, neque ſpinoſa illa, & ſpiſsiſsima, quibus Apologiam ſuam conſeuerunt, mendacia euelli, runcari, ac diſsipari, potuerunt.

Et illud te rogatum volo: Occurrent, in hac relatione, nonnulla, ſupra modum fœda, & abominanda, à Zuuinglio Caluinianis tamen Prædicantibus, in rei veritate, patrata, ignoſce quòd ea memorem; tacui nefandiora, pluries à Miniſtris illis, qui in Rhetia viuunt, ſine Rege & lege, admiſſa.

Sed quid de Venetis, quorum toties iterata ſit mentio? abſit vt Ill.mæ, illi Reipublicæ labem aſpergam; naſutulos quoſdam, Caluiniſmi Magnete tinctos, duntaxat arguo, & taxo, Iuuenculos, qui, vt res nouas moliantur, velut ingratiſſimæ viperæ, Matris, quæ eos genuit vterum perrodere, non exhorreſcunt.

Mea demum in te eſt animi fiducia, ſiue in Eccleſia Catholica, mecum, veterem & auitam Fidem amplecteris, & profiteris, ſiue Caluini aut Zuuinglij; ſiue etiã Lutheri, ex parte, Caſtra conſectaris, fore vt tranquillo, pacato, à liuoris affectibus depurato, beneq; defæcato animo, omnia legas, expendas, trutines, ac demum penſites, quid in æternæ ſalutis tuæ cauſſa, ab illo Euangelio, ſperare poſſis, cuius Miniſtri & Prædicatores, non ſolum ad Innocentium ſanguinem profundendum, authoritatem ſuam, publicè interponunt; ſed & ſanguinarij Iudices, ſententiam dicunt, & Carnificis amanuenſes, eandem ſuppliciis inferendis, exequuntur. Vale, & admonitiunculam hanc meam, bono tuo, boni conſule.

INDEX

INDEX CAPITVM.

CAP. I. *Inaudita crudelitas Miniſtrorum, Luthero Caluinianorum, apud Rhetos confœderatos.*

II. *Occaſio Martyrij, B. M. Nicolai Ruſcæ, Archipresbyteri, Rhetiæ Incolarum, Fœdus nouum, cum Venetis, & quibuſdam Germaniæ Magnatibus, Caluinianis.*

III. *Conciliabulum Rheticorum, Miniſtrorum, Clauennæ habitum, ad promouendam Venetam, & Caluinianam Factionem.*

IV. *Alia, conciliabulum, aut illico, aut exiguo interiecto tempore deinceps conſecuta.*

V. *Seditio à Miniſtris excitata; Iudices ſanguinis è Miniſterio potiſſimum ſelecti.*

VI. *Galliæ Regis Legati, caſſa & irrita monitio, ad Miniſtros Turbarum auctores.*

VII. *Egregiæ dotes & qualitates, Miniſtrorum Luthero Caluinianorum, Iudicij Tuſienſis, Iudicum & Aſſeſſorum.*

VIII. *Educatio, Vita, Mores & Eruditio, B. M. Nicolai Ruſcæ, ante martyrium.*

IX. *Præclariſſimæ animæ dotes & virtutes, in vita Nicolai coru-(ſcantes.*

X. *Eius captiuitas & raptatio violenta ad carnificinam Tuſienſem.*

XI. *Biduana equulei tortura, à Miniſtris Luthero Caluinianis duriſſimè excarnificatur.*

XII. *Strenuiſſimus Chriſti miles, extinguitur in tormentis.*

XIII. *Quædam, Archipresbyteri mortem illicò conſecuta.*

XIV. *Archipresbyter vita functus, extremi ſupplicij reus, ideoq; ſub patibulo ſepeliendus, Miniſtrorum ſententia pronunciatur.*

XV. *Archipresbyteri, ſub patibulo ſepultura, & eadẽ hora, Plurienſis oppidi, ruina montis, oppreſſio.*

XVI. *Admiranda alia, ſepulturam conſecuta.*

XVII. *Congeries calumniarũ, quibus Miniſtri iudices, ſanguinarij, Archipresbyterum Martyrem, in Apologia, mendaciter aſperſerunt.*

B XVIII.

XVIII. *Homicidij, Archipresbytero, à Miniſtris, falsò, nequiter & impacti, Crimen delimatur.*

XIX. *Alia Criminatio, Archipresbytero impoſita, diſcutitur, eliditur, ſuffocatur.*

XX. *Infamis iterum lœdoria, à Ludionibus CaluinoLutheranis, Nicolao irrogata, abſtergitur & defricatur.*

XXI. *Quarta calumnia Archipresbytero intentata, diluitur.*

XXII. *Alia, ob ædificationem Arcis Fuentes, in Collimitiis Rhetiæ, à Mediolanenſi Gubernatore extructa, in Archipresbyterum, coniecta criminatio, carbone notatur, & obeliſco defigitur.*

XXIII. *Alia calumniarum Latomia, in Archipresbyterum, à Miniſtris extructa, deiicitur & vaſtatur.*

XXIV. *Aliud lethale crimen, ob quod Archipresbyter, adeò inhumaniter tractandus, vltimòque ſupplicio afficiendus erat.*

XXV. *Concluſio iudiciarij proceſſus, in vitam & ſanguinem Archipresbyteri.*

XXVI. *Mendacia duo, auctarij loco ſuperaddita, ab Apologiſta, diſſipantur.*

XXVII. *Proceſſus criminalis Miniſtrorum ZuuinglioCaluinianorũ contra Reu.^{mum} & Ill.^{mum} ſacri Romani Imperij Principem Ioannem Epiſcopum Curienſem, capite plectendum, Inſtitutus, In vſurpato illo & cruento iudicio Tuſienſi.*

XXVIII. *Septem criminationes Epiſcopi ordine priores, diluuntur.*

XXIX. *Septem aliæ in Epiſcopum calumniæ, in pulueres abeunt, à vanitatis ventilabro difflantur.*

XXX. *Condemnationes & mulctæ innumerabilium aliorum Venetæ factionis contradictorum.*

XXXI. *Epilogus totius Hiſtoriæ.*

MARTYRIVM B. MEMORIÆ ADMODVM R. D. D. NICOLAI RVSCA ARCHIPRESBYTERI SONDRIENSIS, A LVTHEROCALVINIANIS, CONFOEDERATORVM IN SVPERIORI RHETIA, Curienſis Diœceſis, Miniſtris, crudeliſſimè occiſi.

CAPVT PRIMVM.

Jnaudita crudelitas Miniſtrorum Luthero Caluinianorum, apud Rhetos Confœderatos.

ADMIRANDA, & ſanè ſtupenda, veriſſima tamen, de incredibili Hæreticorum Miniſtrorum, ſæuitia, vt in complures alios, ita præcipuè in Nicolaum Ruſcam, Sondrienſium, Epiſcopatus Curienſis, Archipresbyterum, perbreui elencho recenſiturus, videor mihi, denuò repullulaſcentem, veterem illam, cruentamque Arianorum Vandalorum ſæuitiem, qua Chriſtianos in Affrica Sacerdotes, Antiſtites & Epiſcopos, mirandum in modum exagitabant, nouo veluti ſchemate expreſſam, ante oculos collocatam, ſpectare; & adeò quidem luculenter, vt vix neceſſe ſit, ea de re, tres inte-

Crudelitas Miniſtrorum apud Gryſones.

Victor Africanus lib. 1. 2. 3. de Perſecut. Vandalica.

integros, à Victore Vticenſi, quondam conſcriptos libros, moroſius lectitando, percurrere: Nam vt illi extremè intolerabili crudelitate, in orthodoxos Clericos, & ſacrorum Præſules deſæuiebant, vt nec ipſi, eorum Pſeudoepiſcopi, à violentis manibus inferẽdis, furori concepto temperarent; quin orthodoxorum quàm plurimos, inauditis, ab hominum memoria, tormentorum generibus, excarnificatos, Martyrio afficerent: Sic nec Falſi apud Griſones Prophetæ, & Luthero Caluiniani, Quint Euangelij Præcones, à cædibus & internecionibus Catholicorum, etiam Sacerdotum, & Religioſorum hominum, qua ſunt infames, immanitatem ſiſtere, aut cohibere potuerunt: quid dicam? Reuixit in illorum Euangelio, Decij Truculentia; in Synagogis eorum Valeriani & Galieni, atque Aureliani refloruit Immanitas; denuò ſe prodit, Maximini & Diocletiani, furor & Inſania: Tyrannica Licinij & Iuliani Apoſtatæ, & effundendi ſanguinis humani diriſſima libido, plenis in Catholicos quoſuis innocuos, Cataractis effuſa, manifeſtè prorupit. Vno verbo: Nihil tam atrocis ſupplicij & cruciatûs ab immaniſſimis quibusque Tyrannis, excogitari potuit, quo non digni, qui pro aris & focis, Catholicam Religionem, tuendam ſuſcepère, ab illis judicentur. Inſpecta humani ſanguinis, plena foſſa; *pulchrum ac periucundum, id ſibi eſſe ſpectaculum*, Hannibal Pœnus affirmabat: quid acceptius Luthero Caluinianis, verbi Thericopolis, quàm manus cum Luthero, Archiſtratego ſuo, lauare in ſanguine, Pontificis, Cardinalium, Epiſcoporum, Ieſuitarum, omnium Sacerdotum? Ex eorum ſanè conſiliis ſitis iſta Cruoris, euidenter illuceſcit; nec aliis indiget indiciis & argumentis.

Fulgoſ. lib. 10. cap. 11.

Verba Lutheri.

Euſeb. lib. 5. cap. 1.

Gallorum quædã, apud Ebuſeium Cęſareenſem, Epiſtola, formas aliquot veterum apud Ethnicos Tyrannos,

Cruciatuum, vſu quotidiano, tritorum commemorat: *Inſidias domi foriſq; in publicis locis Criminationes, & Calũnias, Plagas; tractiones, bonorum direptiones, ipſi, slapidationes; intarcerationes; diuturnas in equuleo ſuſpenſionein cuſtodiis ſtrangulationes, vſtulationes, ſcorpiones, patibula, Rotas, Cornibus Taurorum; Ferreas Sartagines, & æneos boues, & ſi quid aliud ſimilis inuenti, ex Orco pro- beſtiarũ dentes, ventilationes ex diiſſe, memoratur.* Verùm Luthe-Caluinianorum Miniſtrorũ, Infernali œſtro percitorum, Inſania, penſiculatius, & nſpectius, conſiderata, priſcorum Tyrannorum rabiem, ſi non ſuperare, haud tamen procul à ſcopo, adæquare, deprehendetur: nam modernum Archetypon, vetus illud Prototypon, ad amuſſim imitatur.

Varia genera tormentorum à Prædicãtibus excogitata.

Taceo Radagaiſum Gothorum, Croſcum, Genſericum, Hunericum, Thraſimundum, Vandalorum, Theodoricum & Amalaricum, Weſtgothorum Reges, Catholicorum præcipuè Sacerdotum ſanguine ebrios, vſque ad ſummum; quorum ferinam impietatem, moderni iſti, LutheroCaluiniani, Flamines, exactiſſimè, ad oculum ſic repræſentant, vt qui Oroſium, Victorem Affricanum, Gregorium Turonenſem, Procopium, Euagrium, Paulum Diaconum, & ſimiles veteris Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, Compilatores euoluerit, hoc Caluinianarum genimen viperarum, ex eodem, quo illorũ crudelitas, ouo prodiiſſe, nullam penitus inueniat occaſionem, vllatenus dubitandi.

Saniſſimos quoſque Tyrannos imitantur Prædicantes.

Orroſius lib 7. cap. 37.
Victor lib. 3. Hiſt. VVand.
Gregor. Turõ lib. 2. cap 3.
Procop. lib. 3. de bello Vandal.
Euagr. lib. 4. cap. 15.
Paulus Diac. lib. 15.

Sed quid prolixioribus verbis opus? ipſa hiſtoriæ noſtræ ſeries, quàm breuiter explicatam dabimus, irrefragabilem, genuinæ veritati, calculum ſuperaddet. Cum autem fieri non poſſit, vt Cardo, in quo verſamur, negotij abs quouis facilè capiatur, niſi turbarum atque tumultuum, à Miniſtris potiſſimum excitatorum, fontes & cauſſæ, Actores & Promotores, progreſſus item, & exinde conſecuta mala, paulù enucleatius, dignoſcantur, operam dabi-

 mus,

mus, vt id, Duce, Comite, ac pediſequa veritate, quã compendioſiſſimè fiat. Non enim niſi comperta, & fide digniſſimorum hominum, quin etiam, ipſorummet Antagoniſtarum, ſcriptis & teſtimoniis, comprobata, referemus; ac tum demum, expoſito Archipresbyteri Martyrio, Spongia Innocentiæ adhibita, Calumnias & Conuitia, quibus eum, vnà, cum Epiſcopo Curienſi. ſpurciſſimè, flagitioſiſſimeque conſperſerunt, haud ſegniter abſtergemus.

CAPVT II.

Occaſio Martyrij, B. M. Nicolai Ruſca, Archipresbyteri, Rhetiæ Incolarum, Fœdus nouum, cum Venetis, & quibuſdam Germaniæ Magnatibus, Caluinianis.

FLAGRANTE in Iſtria, Sereniſſimum Auſtriæ Archiducem, Ferdinandum Bohemiæ & Hungariæ Regẽ modò Romanorum Imperatorem, inter & Venetos bello, haud ſanè ſpectabili Venetorum emolumẽto, interpoſita tandẽ pace terminato; Caluinianis quibuſdam Imperij Principibus, in primis verò, Tigurinis & Bernatibus, aliiſq; eiuſdem farinæ Ciuitatibus, eodem Veneno tinctis, nîl magis cordi, & in votis erat, quàm vt Rheti confœderati, vulgo **Grawbündner** appellati, perpetuò Venetis copulati, fœdere, quoties exigeretur, liberum militibus, quos aut Veneti, in Germania conſcripturi, aut vniti Caluiniani Principes, ſubſidio Venetis miſſuri eſſent, liberum & apertum tranſitum, permitterent, & vltro aſſignarent. Quod vt effectum darent, varios, non ſolum, legatos ad præfatos Principes & Ciuitates, alioſque Caluinianos Dynaſtas, deſtinarunt, ſed & emiſſitios alios, & Clancularios, rerum ſuarum Procuratores,

Caluiniani Germaniæ proceres, vnà cum Venetis, Rhetorum confœderatorum fœdus & amicitiam expetunt.

tores, cum innumerabili Zecchinorum aureorum vi, ad Prædicantes, tam Tigurinos & Bernatenſes, quàm Rhetos, ire iuſſerunt, qui exaſperatam famem, & Caninum pecuniarum appetitum, quo verbi Fidicines, vt plurimum, ob rei familiaris anguſtias, & liberorum multitudinem, laborare ſolent, largitionum Alexipharmaco, perſanarent, eo duntaxat precario fine, vt corruptis iam primariorum Rhetorũ Caluinianorum capitibus, vulgo etiam, alioqui, ad moliendas res nouas promptiſſimo, idem cum Venetis fœdus perſuaderent.

Duo autem cum primis fines, & geminus ac duplex ſcopus, Caluinianis, tàm Dynaſtis, quàm Helueticis, & aliis, eadem contagione intoxicatis, liberis ciuitatibus, propoſiti erant. Prior, vt oppreſſo à Venetis in Iſtria Archiduce Ferdinando, Hæreditariis aliis Regnis, & Principatibus, ad ſeditionem & rebellionem, vt iam ante oculos eſt videre, contumaciter excitatis, totam Auſtriacam domum, eò facilius euertere, ac ſubneruare, & ab Imperij Romani ſucceſſione, perpetuis deinceps temporibus, deiicere poſſent, & eliminare. Alter porrò, vt diſſoluta Imperij Compage, Ipſi, cum Galliæ, Angliæ, Scotiæ, Hyberniæ, Hollandiæ, Heluetię & Rhetię Caluinianis, coniunctis viribus, Archiepiſcopatus Moguntinum, Colonienſem, Treuerenſem, Epiſcopatus Bambergenſem, Herbipolenſem, Argentinenſem, Aiſtetenſem, Auguſtanum, Cõſtantienſem, Leodienſem, Spirenſem, Badebornenſem, Wormatienſem, Paſſauienſem, & cum Fuldenſi, reliquos omnes Catholicorum Principatus, & præpingues Abbatias, inuaderent, eiectiſque, cum omni Clero, Epiſcopis, atque Præſulibus aliis, eorum poſſeſſiones, & bona diriperent, ſibique, noua Reipublica forma conſtituta, perpetuo Iure, attribuerent, & vendicarent; quod, vt eò facilius, feliciuſque effectum

Geminus expectus Fœderis ſinis.

I. *Exterminatio domus Auſtriacæ.*

II. *Euerſio Catholicæ Eccleſiæ.*

darent, Caluinianos vtique Miniſtros adhibendos, & auro potiſſimum Veneto, firmiſſimè deuinciendos eſſe, exiſtimabant: nam aptiora, ad tâm arduum opus, Inſtrumenta, nullibi aliàs occurrebant.

Auaritia Miniſtrorũ apud Rhetos.

Virgilius lib. 3. Æneidos.

Quid non mortalia pectora cogis,
Auri ſacra Fames?

Flagitiorum omnium, & improbitatis Metropolim, eſſe auaritiam, dicebat olim Bias Philoſophus. & verè: *Auaritia*, inquit Cicero, *immenſa & incredibilia poteſt: ita enim hominum mentes obſtrictas tenet, vt eas nullo tempore, reſpirare permittat*. Videre id eſt, in Hæreticis, Rhetorum Confœderatorum Miniſtris: nam ſicut in Argento viuo, omnia natant, excepto auro, quod vnum ad ſe trahit: Ita nihil æſtuanti eorum auaritiæ, præter lucrum, cuius arrham, à Venetis iam acceperant, & vberius, re bene geſta, Minerual ſperabant, in optatis erat: Patriæ amor, pax & tranquillitas, Reipublicæ confœderatorum, in ſummo fluitabant; Populi ſalus, & incolumitas, in ventos abierant, & ab eorũ conſiliis exulabant. Fatentur ipſimet Rheti Miniſtri, in Apologia, Tiguri, ſine nomine tamen Authoris, & Typographi edita, Miniſtros omnes, non ſolum, in publicis Concionibus; ſed & in priuatis Circumcurſitationibus, Primores Rhetorum, atque etiam promiſcuum vulgus, ad ineundum cum Venetis, & Germaniæ Caluiniſtis, fœdus, ſollicitaſſe, & haud ſegniter perurſiſſe. Id verò quo ordine geſtum ſit, ſequenti capite, paucis referabo.

Stob. ſerm. 10. Cicero in Vatinium.

Simile.

Miniſtrorũ induſtria in perniciem & turbationem patriæ.

CAPVT

CAPVT III.

Conciliabulum Rheticorum Miniſtrorum Clauenna habitum, ad promouendam Venetam & Caluinianam Factionem.

INTEREA dum hæc molirentur, Hierophantæ Caluiniani, cum Comminiſtris Miſopatridis, nō deerant, ex altera parte, Optimi Philopatridæ, Publicolæq́; complures, quibus commune bonum, & tranquillitas illarum Partium, cordi erāt. Hi ergo, Martis & Bellonæ Alumnis, Miniſtris inquam Euangelico lituo Claſſicū intonantibus, audacter et virili Conatu, ſeſe opponebant, vt antiqua, cum Auſtriaca Domo, Hiſpaniæ & Galliæ Regibus, Heluetię Cantonibus, olim ſancita, & Iureiurandorum ſacramentis, vtrobique obſignata, omniaque alia cum aliis Regibus, Principibus, Rebuſpublicis, fœdera, pacta & conuenta, excludentia, inuiolabiliter obſeruanda dictitabant; atquè ita diſcordiarum facibus, & diſſenſionum Anteſignanis, quâ verbis, quà Conſiliis, imperterritè contradicebant.

Fœdus cum Venetis à compluribus reiicitur.

Quid è contra, Archiflaminatus ille, Pſeudoeuangelicus? an inauſum aliquid aut intentatum omittit? ad Venetæ Factionis, Hierobaſilicon caput, Herculem à Salis, Clauennam celerimè conuolat, Iacobus Antonius Vulpius Fetanus in Engaddina ſuperiore, Miniſtrorū Caluinianorum Coryphæus, querelas apud ipſum, contra varios Venetæ Factionis Turbatores, inprimis verò contra Nobiles, Rudolphū & Pompeium, à Planta, Fratres, præcipuos Rhetorum Confœderatorum Satrapas, inflammato ad vindictæ cupiditatem, animo, indagabundè, deponit. Verum enimuerò in Rudolphum, auctoritate & opibus præ-

Iacobus Vulpius egregius Promotor Veneta Factionis.

pollentem, felleum virus, amaricatè vomitabat: nec cauſa deerat; nam ille, cum Cernetij Magiſtratum gereret, & Maleficorum iudicem ageret, duos, Vulpij Prędicantis Patrueles, quorum alter quadraginta duo, alter verò, nouem, homicidia, commiſerant, in Rotam agi, & extremo ſupplicio, vti commeruerant, iuſſerat mactari; hinc illæ lachrymæ.

Hercules à Salis caput Factioſorum.

Percommodè verò, tunc temporis Hercules à Salis, Clauennam itidem, per literas euocârat, alios quoq;, Verbi Caluiniani, ſpermologos, Blaſium Alexandrum, Bonuram Toutſch, Georgium Genachium, & alios complures Euangelij Caluiniani, funerarios Pollinctores, haud alio fine, quàm vt cum Caſparo Alexio, quem è Geneuenſi lacuna, ne dicam Caluiniſmi cloaca, inuictus ille Hercules, aſciuerat, proditoria inſimul conſilia, moliminaque, congererent, vltrò citroque deliberaturi, qua demum, efficaci, ratione oppreſſis per vim, & armata manu, Hiſpanis, vt odioſo nomine aduerſarios appellitabant, Veneta Factio foueri, augeri, promoueri, atque ad optatiſſimum exitum, perduci poſſet. Varia hinc media, proponuntur, & excutiuntur; at illud tandem optimum factu, operęque precium iudicatur, vt tam Epiſcopus Curienſis, cum Archipresbytero Sondrienſi, quã duo Fratres à Planta & alij, Hiſpanicę Factioni, adhæreſcentes, vniuerſi, tanquã Patrię Proditores, publico, in eum finem, inſtituto, ſanguinis iudicio, accuſentur, condemnentur, extremoque ſupplicio affecti, è medio tollantur. Hæc Caiphas ille, Fetanus Prædicans, Iacobus Antonius Vulpius, cũ eſſet anni illius Pontifex, Caluinianorum, verbi Rhizotomorum; cuius ſentẽtiam, omnium calculi obnixè, manibns pedibusque, communi voto, incunctanter approbant, & confirmant.

Concluſio deliberationis inſtituta.

Verum enimuerò, vt eo feliciori ſucceſſu, res ipſa pro-

gre-

grediatur, Capitulum generalē, Synodum illi vocant, Miniſtrorum LutheroCaluinianorum teſte ipſorummet Apologia, Anno M. DC. XVIII. Menſe Aprili Bergunium indicitur. Coiuêre Miniſtri, haud exiguo numero. Præſes eligitur, Caſpar Alexius, è Geneuenſium Caluinianorum fæce, haud ita pridem prognatus, Martis Pullus. Js in primis, Prædicantica oſtentatione tumeſcens. & ampullas, ac ſeſquipedalia verba, iactabundè proiiciens, centenoque inter loquendum gutture totum effundens Heliconem, Veneti Fœderis honeſtatem, & varias, ac miras vtilitates, auro Veneto iam pridem corruptus, plenis concrepat buccis, illudque, accedentibus inprimis, reliquis Germaniæ, & aliorum Caluinianorum Principum, viribus, ad euertendum omnem Papatum, in Germania non ſolum; ſed & in vniuerſa Italia, Gallia, & ſi fieri detur, in ipſa etiā Hiſpania, percommodè ſeruiturum, Sibillæ folia recitās, egregius vates, ominatur, dummodò Miniſtrorum quilibet, Rem tantam, Euangelio tam proficuam, ſeriò cordi ſumant, & pro concione palàm, atque etiam occultè, auditoribus ſuis inculcent, eoſdemque ad opprimendos, Hiſpanicæ, Factionis Aſſeclas, incitent & inflamment. Gratum, qui aderant ratumque, omnes accepêre conſilium, quod triuialis iſte Alaſtor, in medium conferebat: Illud vnicum, mirificè torquebat, omnes ac ſingulos, quæ via, quæ ratio, ineunda foret, quis modus inueſtigandus, ad eradicandam ac penitus exterminandam, totam Hiſpanicam Factionem, conatibus ipſorum, adeò pertinaciter obſiſtentem.

Capitulū generale Miniſtrorum LutheroCaluinianorū Apolog. fol. 2. pag. 2.

Gaſparis Alexij Prædicantiū conſilium.

Nota ſcopum totius Fœderis.

Sed ecce tibi Iacobum Antonium Vulpium: Miniſtris agnato, turgentem faſtu, atque in hæc verba prorumpentem: *Quid cunctamur? actum agemus, nudis verbis, cum Papiſticis Proditoribus, Hiſpanicæ parti, eheu, plus æquo, addictis: Vi & an-*

Sed quid de Venetis, quorum toties iterata ſit mentio? abſit vt Ill.ma, illi Reipublicæ labem aſpergam; naſutulos quoſdam, Caluiniſmi Magnete tinctos, duntaxat arguo, & taxo, Iuuenculos, qui, vt res nouas moliantur, velut ingratiſsimæ viperæ, Matris, quæ eos genuit vterum perrodere, non exhorreſcunt.

Mea demum in te eſt animi fiducia, ſiue in Eccleſia Catholica, mecum, veterem & auitam Fidem amplecteris, & profiteris, ſiue Caluini aut Zuuingly; ſiue etiã Lutheri, ex parte, Caſtra conſectaris, fore vt tranquillo, pacato, à liuoris affectibus depurato, beneq́; defæcato animo, omnia legas, expendas, trutines, ac demum penſites, quid in æternæ ſalutis tuæ cauſſa, ab illo Euangelio, ſperare poſsis, cuius Miniſtri & Prædicatores, non ſolum ad Innocentium ſanguinem profundendum, authoritatem ſuam, publicè interponunt; ſed & ſanguinarij Iudices, ſententiam dicunt, & Carnificis amanuenſes, eandem ſuppliciis inferendis, exequuntur. Vale, & admonitiunculam hanc meam, bono tuo, boni conſule.

INDEX

INDEX CAPITVM.

CAP. I. *Inaudita crudelitas Miniſtrorum, Luthero Caluinianorum, apud Rhetos confœderatos.*

II. *Occaſio Martyrij, B. M. Nicolai Ruſca, Archipresbyteri, Rhetiæ Incolarum, Fœdus nouum, cum Venetis, & quibuſdam Germaniæ Magnatibus, Caluinianis.*

III. *Conciliabulum Rheticorum, Miniſtrorum, Clauennæ habitum, ad promouendam Venetam, & Caluinianam Factionem.*

IV. *Alia, conciliabulum, aut illico, aut exiguo interiecto tempore deinceps conſecuta.*

V. *Seditio à Miniſtris excitata; Iudices ſanguinis è Miniſterio potiſſimum ſelecti.*

VI. *Galliæ Regis Legati, caſſa & irrita monitio, ad Miniſtros Turbarum auctores.*

VII. *Egregiæ dotes & qualitates, Miniſtrorum LutheroCaluinianorum, Iudicij Tuſienſis, Iudicum & Aſſeſſorum.*

VIII. *Educatio, Vita, Mores & Eruditio, B. M. Nicolai Ruſca, ante martyrium.*

IX. *Præclariſſimæ animæ dotes & virtutes, in vita Nicolai coruſcantes.*

X. *Eius captiuitas & raptatio violenta ad carnificinam Tuſienſem.*

XI. *Biduana equulei tortura, à Miniſtris LutheroCaluinianis duriſſimè excarnificatur.*

XII. *Strenuiſſimus Chriſti miles, extinguitur in tormentis.*

XIII. *Quædam, Archipresbyteri mortem illicò conſecuta.*

XIV. *Archipresbyter vita functus, extremi ſupplicij reus, ideoq; ſub patibulo ſepeliendus, Miniſtrorum ſententia pronunciatur.*

XV. *Archipresbyteri, ſub patibulo ſepultura, & eadē hora, Plurienſis oppidi, ruina montis, oppreſſio.*

XVI. *Admirandæ alia, ſepulturam conſecuta.*

XVII. *Congeries calumniarū, quibus Miniſtri iudices, ſanguinarij, Archipresbyterum Martyrem, in Apologia, mendaciter aſperſerunt.*

XVIII. *Homicidij, Archipresbytero, à Miniſtris, falsò, nequiterq́; impacti, Crimen delimatur.*

XIX. *Alia Criminatio, Archipresbytero impoſita, diſcutitur, eliditur, ſuffocatur.*

XX. *Infamis iterum lœdoria, à Ludionibus CaluinoLutheranis, Nicolao irrogata, abſtergitur & defricatur.*

XXI. *Quarta calumnia Archipresbytero intentata, diluitur.*

XXII. *Alia, ob ædificationem Arcis Fuentes, in Collimitiis Rhetiæ, à Mediolanenſi Gubernatore extructa, in Archipresbyterum, coniecta criminatio, carbone notatur, & obeliſco defigitur.*

XXIII. *Alia calumniarum Latomia, in Archipresbyterum, à Miniſtris extructa, deiicitur & vaſtatur.*

XXIV. *Aliud lethale crimen, ob quod Archipresbyter, adeò inhumaniter tractandus, vltimòque ſupplicio afficiendus erat.*

XXV. *Concluſio iudiciarij proceſſus, in vitam & ſanguinem Archipresbyteri.*

XXVI. *Mendacia duo, auctarij loco ſuperaddita, ab Apologiſta, diſſipantur.*

XXVII. *Proceſſus criminalis Miniſtrorum ZuuinglioCaluinianorũ contra Reu.^mum & Ill.^mum ſacri Romani Imperij Principem Ioannem Epiſcopum Curienſem, capite plectendum, Inſtitutus, In vſurpato illo & cruento iudicio Tuſienſi.*

XXVIII. *Septem criminationes Epiſcopi ordine priores, diluuntur.*

XXIX. *Septem aliæ in Epiſcopum calumniæ, in pulueres abeunt, à vanitatis ventilabro difflantur.*

XXX. *Condemnationes & mulctæ innumerabilium aliorum Venetæ factionis contradictorum.*

XXXI. *Epilogus totius Hiſtoriæ.*

MAR-

MARTYRIVM B. MEMORIÆ ADMODVM R. D. D. NICOLAI RVSCA ARCHIPRESBYTERI SONDRIENSIS, A LVTHEROCALVINIANIS, CONFOEDERATORVM IN SVPERIORI RHETIA, Curienſis Diœceſis, Miniſtris, crudeliſſimè occiſi.

CAPVT PRIMVM.

Jnaudita crudelitas Miniſtrorum Luthero Caluinianorum, apud Rhetos Confœderatos.

ADMIRANDA, & ſanè ſtupenda, veriſſima tamen, de incredibili Hæreticorum Miniſtrorum, ſæuitia, vt in complures alios, ita præcipuè in Nicolaum Ruſcam, Sondrienſium, Epiſcopatus Curienſis, Archipresbyterum, perbreui elencho recenſiturus, videor mihi, denuò repullulaſcentem, vererem illam, cruentamque Arianorum Vandalorum ſæuitiem, qua Chriſtianos in Affrica Sacerdotes, Antiſtites & Epiſcopos, mirandum in modum exagitabant, nouo veluti ſchemate expreſſam, ante oculos collocatam, ſpectare; & adeò quidem luculenter, vt vix neceſſe ſit, ea de re, tres inte-

Crudelitas Miniſtrorum apud Griſones.

Victor Africanus lib. 1. 2. 3. de Perſecut. Vandalica.

integros, à Victore Vticenſi, quondam conſcriptos libros, moroſius lectitando, percurrere: Nam vt illi extremè intolerabili crudelitate, in orthodoxos Clericos, & ſacrorum Præſules deſæuiebant, vt nec ipſi, eorum Pſeudoepiſcopi, à violentis manibus inferēdis, furori concepto temperarent; quin orthodoxorum quàm plurimos, inauditis, ab hominum memoria, tormentorum generibus, excarnificatos, Martyrio afficerent: Sic nec Falſi apud Griſones Prophetæ, & LutheroCaluiniani, QuintEuangelij Præcones, à cædibus & internecionibus Catholicorum, etiam Sacerdotum, & Religioſorum hominum, qua ſunt infames, immanitatem ſiſtere, aut cohibere potuerunt: quid dicam? Reuixit in illorum Euangelio, Decij Truculentia; in Synagogis eorum Valeriani & Galieni, atque Aureliani refloruit Immanitas; denuò ſe prodit, Maximini & Diocletiani, furor & Inſania: Tyrannica Licinij & Iuliani Apoſtatæ, & effundendi ſanguinis humani diriſſima libido, plenis in Catholicos quoſuis innocuos, Cataractis effuſa manifeſtè prorupit. Vno verbo: Nihil tam atrocis ſupplicij & cruciatûs ab immaniſſimis quibusque Tyrannis, excogitari potuit, quo non digni, qui pro aris & focis, Catholicam Religionem, tuendam ſuſcepêre, ab illis judicentur. Inſpecta humani ſanguinis, plena foſſa; *pulchrum ac periucundum, id ſibi eſſe ſpectaculum*, Hannibal Pœnus affirmabat: quid acceptius LutheroCaluinianis, verbi Thericopolis, quàm manus cum Luthero, Archiſtratego ſuo, lauare in ſanguine, Pontificis, Cardinalium, Epiſcoporum, Ieſuitarum, omnium Sacerdotum? Ex eorum ſanè conſiliis ſitis iſta Cruoris, euidenter illuceſcit; nec aliis indiget indiciis & argumentis.

Fulgoſ. lib. 10. cap. 11.

Verba Lutheri.

Euſeb. lib. 5. cap. 1.

Gallorum quædā, apud Ebuſeium Cęſareenſem, Epiſtola, formas aliquot veterum apud Ethnicos Tyrannorum,

 torum.

Cruciatuum, vſu quotidiano, tritorum commemorat: *Inſidias domi foriſq; in publicis locis Criminationes, & Calũnias, Plagas, tractiones, bonorum direptiones, ipſi, ſlapidationes; intarcerationes; diuturnas in equuleo ſuſpenſionein cuſtodiis ſtrangulationes, vſtulationes, ſcorpiones, patibula, Rotas, Cornibus Taurorum; Ferreas Sartagines, & æneos boues, & ſi quid aliud ſimilis inuenti, ex Orco probeſtiarũ dentes, ventilationes ex diiſſe, memoratur.* Verùm Luthe-Caluinianorum Miniſtrorũ, Infernali œſtro percitorum, Inſania, penſiculatius, & nſpectius, conſiderata, priſcorum Tyrannorum rabiem, ſi non ſuperare, haud tamen procul à ſcopo, adæquare, deprehendetur: nam modernum Archetypon, vetus illud Prototypon, ad amuſſim imitatur.

Varia genera tormentorum à Prædicãtibus excogitata.

Taceo Radagaiſum Gothorum, Croſcum, Genſericum, Hunericum, Thraſimundum, Vandalorum, Theodoricum & Amalaricum, Weſtgothorum Reges, Catholicorum præcipuè Sacerdotum ſanguine ebrios, vſque ad ſummum; quorum ferinam impietatem, moderni iſti, LutheroCaluiniani, Flamines, exactiſſimè, ad oculum ſic repræſentant, vt qui Oroſium, Victorem Affricanum, Gregorium Turonenſem, Procopium, Euagrium, Paulum Diaconum, & ſimiles veteris Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, Compilatores euoluerit, hoc Caluinianarum genimen viperarum, ex eodem, quo illorũ crudelitas, ouo prodiiſſe, nullam penitus inueniat occaſionem, vllatenus dubitandi.

Saniſſimos quoſque Tyrannos imitantur Prædicantes.
Orroſius lib 7. cap. 37.
Victor lib. 3. Hiſt. VVand.
Gregor. Turò. lib. 2. cap 3.
Procop. lib. 3. de bello Vandal.
Euagr. lib. 4. cap. 15.
Paulus Diac. lib. 15.

Sed quid prolixioribus verbis opus? ipſa hiſtoriæ noſtræ ſeries, quàm breuiter explicatam dabimus, irrefragabilem, genuinæ veritati, calculum ſuperaddet. Cum autem fieri non poſſit, vt Cardo, in quo verſamur, negotij abs quouis facilè capiatur, niſi turbarum atque tumultuum, à Miniſtris potiſſimum excitatorum, fontes & cauſſæ, Actores & Promotores, progreſſus item, & exinde conſecuta mala, paulũ enucleatius, dignoſcantur, operam dabi-

mus, vt id, Duce, Comite, ac pedisequa veritate, quã compendioſiſſimè fiat. Non enim niſi comperta, & fide digniſſimorum hominum, quin etiam, ipſorummet Antagoniſtarum, ſcriptis & teſtimoniis, comprobata, referemus; ac tum demum, expoſito Archipresbyteri Martyrio, Spongia Innocentiæ adhibita, Calumnias & Conuitia, quibus eum, vnà, cum Epiſcopo Curienſi ſpurciſſimè, flagitioſiſſimeque conſperſerunt, haud ſegniter abſtergemus.

CAPVT II.

Occaſio Martyrÿ, B. M. Nicolai Ruſca, Archipresbyteri, Rhetiæ Incolarum, Fœdus nouum, cum Venetis, & quibuſdam Germaniæ Magnatibus, Caluinianis.

FLAGRANTE in Iſtria, Sereniſſimum Auſtriæ Archiduecem, Ferdinandum Bohemiæ & Hungariæ Regẽ modò Romanorum Imperatorem, inter & Venetos bello, haud ſanè ſpectabili Venetorum emolumẽto, interpoſita tandẽ pace terminato; Caluinianis quibuſdam Imperij Principibus, in primis verò, Tigurinis & Bernatibus, aliiſq; eiuſdem farinæ Ciuitatibus, eodem Veneno tinctis, nil magis cordi, & in votis erat, quàm vt Rheti confœderati, vulgo Grawbündner appellati, perpetuò Venetis copulati, fœdere, quoties exigeretur, liberum militibus, quos aut Veneti, in Germania conſcripturi, aut vniti Caluiniani Principes, ſubſidio Venetis miſſuri eſſent, liberum & apertum tranſitum, permitterent, & vltro aſſignarent. Quod vt effectum darent, varios, non ſolum, legatos ad præfatos Principes & Ciuitates, alioſque Caluinianos Dynaſtas, deſtinarunt, ſed & emiſſitios alios, & Clancularios, rerum ſuarum Procuratores,

Caluiniani Germaniæ proceres, vnà cum Venetis, Rhetorum confœderatorum fœdus & amicitiam expetunt.

tores, cum innumerabili Zecchinorum aureorum vi, ad Prædicantes, tam Tigurinos & Bernatenſes, quàm Rhetos, ire iuſſerunt, qui exaſperatam famem, & Caninum pecuniarum appetitum, quo verbi Fidicines, vt plurimum, ob rei familiaris anguſtias, & liberorum multitudinem, laborare ſolent, largitionum Alexipharmaco, perſanarent, eo duntaxat precario fine, vt corruptis iam primariorum Rhetorũ Caluinianorum capitibus, vulgo etiam, alioqui, ad moliendas res nouas promptiſſimo, idem cum Venetis fœdus perſuaderent.

Geminus expe- ctus Fœderiſ- nis.

Duo autem cum primis fines, & geminus ac duplex ſcopus, Caluinianis, tâm Dynaſtis, quâm Helueticis, & aliis, eadem contagione intoxicatis, liberis ciuitatibus, propoſiti erant. Prior, vt oppreſſo à Venetis in Iſtria Archiduce Ferdinando, Hæreditariis aliis Regnis, & Principatibus, ad ſeditionem & rebellionem, vt iam ante oculos eſt videre, contumaciter excitatis, totam Auſtriacam domum, eò facilius euertere, ac ſubneruare, & ab Imperij Romani ſucceſſione, perpetuis deinceps temporibus, deiicere poſſent, & eliminare. Alter porrò, vt diſſoluta Imperij Compage, Ipſi, cum Galliæ, Angliæ, Scotiæ, Hyberniæ, Hollandiæ, Heluetię & Rhetię Caluinianis, coniunctis viribus, Archiepiſcopatus Moguntinum, Colonienſem, Treuerenſem, Epiſcopatus Bambergenſem, Herbipolenſem, Argentinenſem, Aiſtetenſem, Auguſtanum, Cõſtantienſem, Leodienſem, Spirenſem, Badebornenſem, Wormatienſem, Paſſauienſem, & cum Fuldenſi, reliquos omnes Catholicorum Principatus, & præpingues Abbatias, inuaderent, eiectisque, cum omni Clero, Epiſcopis, atque Præſulibus aliis, eorum poſſeſſiones, & bona diriperent, ſibique, noua Reipublica forma conſtituta, perpetuo Iure, attribuerent, & vendicarent; quod, vt eò facilius, feliciusque effectum darent,

I. Exterminatio domus Auſtriacæ.

II. Euerſio Catholicæ Eccleſiæ.

darent, Caluinianos vtique Miniſtros adhibendos, & auro potiſſimum Veneto, firmiſſimè deuinciendos eſſe, exiſtimabant: nam aptiora, ad tàm arduum opus, Inſtrumenta, nullibi aliàs occurrebant.

Auaritia Miniſtrorũ apud Rhetos.

Virgilius lib. 3. Æneidos.

Quid non mortalia pectora cogis,
Auri ſacra Fames?

Flagitiorum omnium, & improbitatis Metropolim, eſſe auaritiam, dicebat olim Bias Philoſophus. & verè: *Auaritia*, inquit Cicero, *immenſa & incredibilia poteſt: ita enim hominum mentes obſtrictas tenet, vt eas nullo tempore, reſpirare permittat.* Videre id eſt, in Hæreticis, Rhetorum Confœderatorum Miniſtris: nam ſicut in Argento viuo, omnia natant, excepto auro, quod vnum ad ſe trahit: Jta nihil æſtuanti eorum auaritiæ, præter lucrum, cuius arrham, à Venetis iam acceperant, & vberius, re bene geſta, Minerual ſperabant, in optatis erat: Patriæ amor, pax & tranquillitas, Reipublicæ confœderatorum, in ſummo fluitabant; Populi ſalus, & incolumitas, in ventos abierant, & ab eorũ conſiliis exulabant. Fatentur ipſimet Rheti Miniſtri, in Apologia, Tiguri, ſine nomine tamen Authoris, & Typographi edita, Miniſtros omnes, non ſolum, in publicis Concionibus; ſed & in priuatis Circumcurſitationibus, Primores Rhetorum, atque etiam promiſcuum vulgus, ad ineundum cum Venetis, & Germaniæ Caluiniſtis, fœdus, ſollicitaſſe, & haud ſegniter perurſiſſe. Jd verò quo ordine geſtum ſit, ſequenti capite, paucis reſerabo.

Stob. ſerm. 10. Cicero in Vatinium.

Simile.

Miniſtrorũ induſtria in perniciem & turbationem patria.

CAPVT

CAPVT III.

Conciliabulum Rheticorum Miniſtrorum Clauenna habitum, ad promouendam Venetam & Caluinianam Factionem.

INTEREA dum hæc molirentur, Hierophantæ Caluiniani, cum Comminiſtris Miſopatridis, nō deerant, ex altera parte, Optimi Philopatridæ, Publicolæq; complures, quibus commune bonum, & tranquillitas illarum Partium, cordi erāt. Hi ergo, Martis & Bellonæ Alumnis, Miniſtris inquam Euangelico lituo Claſſicū intonantibus, audacter et virili Conatu, ſeſe opponebant, vt antiqua, cum Auſtriaca Domo, Hiſpaniæ & Galliæ Regibus, Heluetię Cantonibus, olim ſancita, & Iureiurandorum ſacramentis, vtrobique obſignata, omniaque alia cum aliis Regibus, Principibus, Rebuſpublicis, fœdera, pacta & conuenta, excludentia, inuiolabiliter obſeruanda dictitabant; atquè ita diſcordiarum facibus, & diſſenſionum Anteſignanis, quâ verbis, quà Conſiliis, imperterritè contradicebant.

Fœdus cum Venetis à compluribus reiicitur.

Quid è contra, Archiflaminatus ille, Pſeudoeuangelicus? an inauſum aliquid aut intentatum omittit? ad Venetæ Factionis, Hierobaſilicon caput, Herculem à Salis, Clauennam celerimè conuolat, Iacobus Antonius Vulpius Fetanus in Engaddina ſuperiore, Miniſtrorū Caluinianorum Coryphæus, querelas apud ipſum, contra varios Venetæ Factionis Turbatores, inprimis verò contra Nobiles, Rudolphū & Pompeium, à Planta, Fratres, præcipuos Rhetorum Confœderatorum Satrapas, inflammato ad vindictæ cupiditatem, animo, indagabundè, deponit. Verumenimuerò in Rudolphum, auctoritate & opibus præ-

Iacobus Vulpius egregius Promotor Venetæ Factionis.

grediatur, Capitulum generale, Synodum illi vocant, Miniſtrorum Luthero Caluinianorum teſte ipſorummet Apologia, Anno M. DC. XVIII. Menſe Aprili Bergunium indicitur. Coiuêre Miniſtri, haud exiguo numero. Præſes eligitur, Caſpar Alexius, è Geneuenſium Caluinianorum fæce, haud ita pridem prognatus, Martis Pullus. Is inprimis, Prædicantica oſtentatione tumeſcens, & ampullas, ac ſeſquipedalia verba, iactabundè proiiciens, centenoque inter loquendum gutture totum effundens Heliconem, Veneti Fœderis honeſtatem, & varias, ac miras vtilitates, auro Veneto iam pridem corruptus, plenis concrepat buccis, illudque, accedentibus inprimis, reliquis Germaniæ, & aliorum Caluinianorum Principum, viribus, ad euertendum omnem Papatum, in Germania non ſolum; ſed & in vniuerſa Italia, Gallia, & ſi fieri detur, in ipſa etiã Hiſpania, percommodè ſeruiturum, Sibillæ folia recitãs, egregius vates, ominatur, dummodò Miniſtrorum quilibet, Rem tantam, Euangelio tam proficuam, feriò cordi ſumant, & pro concione palàm, atque etiam occultè, auditoribus ſuis inculcent, eoſdemque ad opprimendos, Hiſpanicæ, Factionis Aſſeclas, incitent & inflamment. Gratum, qui aderant ratumque, omnes accepêre conſilium, quod triuialis iſte Alaſtor, in medium conferebat: Illud vnicum, mirificè torquebat, omnes ac ſingulos, quæ via, quæ ratio, ineunda foret, quis modus inueſtigandus, ad eradicandam ac penitus exterminandam, totam Hiſpanicam Factionem, conatibus ipſorum, adeò pertinaciter obſiſtentem.

Capitulũ generale Miniſtrorum Luthero-Caluinianorũ Apolog. fol. 2. pag. 2.

Gaſparis Alexiĵ Prædicantiũ conſilium.

Nota ſcopum totius Fœderis.

Sed ecce tibi Iacobum Antonium Vulpium: Miniſtris agnato, turgentem faſtu, atque in hæc verba prorumpentem: *Quid cunctamur? actum agemus, nudis verbis, cum Papiſticis Proditoribus, Hiſpanicæ parti, eheu, plus æquo, addictis: Vi & armis*

mis opus eſt, ferro flammaque ſunt abolenda iſthæc Carcinomata & vomicę, vt voto potiamur; edico igitur, & ſuadeo, vt omnia noſtræ factionis vexilla, in vnum coëant, & minis ſimul, ac violenta manuum iniectione, factioſorum, nobis aduerſantia capita, adoriantur, comprehendant, & in vincula, Cippos, compedes, carceresq́; compingant. Tum denique ſeligendi, è toto non ſolum Euangelij Miniſtrorum, numero noſtro, duodecim ad minus, quibus è magiſtratu, adiungendi alij, ſiue totidem, ſiue plures, qui comprehenſos reos, tanquam creati à tota noſtra Republica, legitimi iudices, examinent, & prout viſum fuerit, ſiue extremi ſupplicij, ſiue exilij, tum bonorum confiſcatione, ſententiam in illos dicant. Sententia porrò, in quemcunque lata fuerit, ſine omni tergiuerſatione, executioni mandanda, nec vel minima pœnarum impoſitarum, relaxatio, cuiquam indulgenda. Iſthoc & nō alio compendio, ſcopum in quem collimamus, infallibili certitudine conſequemur. Poſtremò, quod rei caput eſt, gladio feriatur Epiſcopus, diſpereat Archipresbyter, nec ſinātor viuere, reliqui Papiſtici ſacrificuli. Curienſis Epiſcopatus funditus euertatur, capitulum exterminetur, Eccleſiaſtica bona, partim fiſco, partim nobis, verbi Dei miniſtris, attribuuntor; ſic noſtra res omnis, erit in vado; ſic Venetum fœdus nauigabit in portu. Hæc Vulpius, ſuggerente haud dubiè maligno Satana depromebat.

Conſilium Euangelicum à ſpiritu Caluiniano ſuggeſtum.

Adſtipulabantur omnes alij, præſentes Myſtagogi Heterodoxi. Conſilium & approbabat, & omni conatu, effectui dandum, in ſe vltrò recipiebat, Hercules à Salis, famoſus ille Caluiniſtarum, Primipilus, & Venetæ factionis, acerrimus propugnator. Vnus aderat, & ſolus Curienſium Miniſter, Georgius Saluzius, cæteris mitior, cui, quę agitabantur conſilia non ex omni parte probabantur; quamobrem, non ſolum à Prędicandi officio ſuſpenditur, ac penitus remouetur; ſed & deinceps, in ſanguinario illo, apud oppidum Tuſienſe, inſtituto iudicio, à comminiſtris, ingenti, centenorum aliquot aureorum, ſumma mulctatur.

Adeo

Adeo nec lupus vnus alteri parcere nouerat, vt Venetæ factionis authoritas, ſarta tectaque ſeruaretur, & ſanguinarij, Lycanthroporum conatus, quem intēdebant, exitum ſortirentur.

CAPVT IV.

Alia, conciliabulum, aut illico, aut exiguo interiecto tempore, deinceps conſecuta.

INDICITVR porrò, ſoluta ſynodo, Miniſtrorum conuentus alius, in quo, vnà cum illis, & alij, è ciuili Magiſtratu, Venetarum partium primores, ſuggerente Joanne à Porta, Dauoſiano, Cicerienſi Miniſtro, perditiſſimo Flagrione (cuius egregias, ſcilicet, animi dotes, ex vmbraculis in ſolem eductas, promeritiſque coloribus, alibi dabimus expreſſas) denuò conueniunt, & ſpirantes minarum ac cędis, in eos qui omni culpa vacui, patriæ duntaxat quieti, & publico bono, conſultum volebant; complures, à quorum potentia ſibi pertimeſcendum arbitrabantur, ad necem, bonorum expoliationem, perpetuumque exilium, anticipato iudicij proceſſu, ex condicto, ſola inſtigante inuidia, & exſtimulante odioſo liuore, deſignabant.

Nouum Miniſtrorum & factioſorum Conuentus.

Vt nihil dicam de Epiſcopo; vt ſileam de Archipresbytero, quem in ipſa tortura, barbarica planè immanitate, interfecerunt; vt prętercam presbyteros alios, quos bonis omnibus exutos, ac ſuis ſedib⁹ eiectos, in exilium compulerunt; Iacobus Antonius Vulpius, non infimæ notæ Miniſter, Apathia, neſcio qua, correptus, præter integram adhuc dimidiatam horam, calumnijs ac lœdoriis, affluentiſſimè ſcatentem, mendaciarum inſuper, & Pſeudologiarum ſquamis, mirè variegatam, in pleroſque Catholicos,

Vulpij Prædicantis fulmina in Catholicos.

 Philip-

Philippicam texuit, & verbis ac vultu, lymphatico furore tinctis, in medium protruſit, nil niſi ſanguinem, & vindictam expoſtulans, & inclamans. Quid attinet criminationes, quas ineptulus iſte vomitauit, hûc tranſcribere? In Apologia Miniſtrorũ, pro ſua defenſione, Germanico idiomate prouulgata, apertè legantur.

Apol. fol. 3 pag. 2. fol. 4 pag. 3.

Vulpium excepit Stephanus Gabriel, Ilanzij Miniſter, qui præter innumera conuitia, quibus Nobilem familiam à planta, omnibus exoſam reddere ſatagebat, mendaciter ac nequiter criminabatur, ex ore Ioannis à Capaulo, ſe ſe excepiſſe: Pompeium à Planta, Germanum Rudolphi Fratrem, virum Catholicæ pietati, Religioniq́ue orthodoxæ, addictiſſimum, palàm gloriatũ, etiamſi aduerſa pars, fœdus cum Venetis percutiat, ſe tamen in promptu, militem & auxiliares copias, aliunde habiturum, & ne tranſitus, etiam, inſtructiſſimo exercitui, pro Venetis conſcripto, alicubi pateat, aut permittatur facilè impediturum. Calumniam ergo quam futilis Miniſter, alibi quoque palàm, effutiuerat, excuſſurus, innocens Pompeius adit Ioannem à Capaulo, & ob ſparſum de ſe, adeò ſiniſtrum rumorem, grauiter increpitat. Pernegat Ioannes omnia, quæ tenebrio Prædicans, vltronea inſtigante malitia, mendaciter effinxerat. Quinimmò & Bergunium, vbi conuentus iſte agitabatur, cito properat veredo, & publicum ad alloquium admiſſus, expoſtulat à Pſeudologo flagrione, palàm ederet, & in conuentu iſto, publicè probaret, quandónam, atrocem iſtam, in Pompeium à Planta, Calumniam, ex ore ſuo hauſiſſet? Silentibus, & rei euentum, haud ſine ſtupore expectantibus, qui aderant, vniuerſis, Stephanus Prædicans, mendacij reus, publiceq́ue conuictus, demiſſo vultu expalluit, & piſcis inſtar obmutuit, atque attonito ſimilis, è conſeſſu, cum rubore & pudore, latebras quæritans, receſſit.

Mẽdacij apertè, reus conuincitur, Stephanus Gabriel Ilanzij Miniſter.

Euangelica Verritatis Miniſtri confeſſio.

Stepha-

Stephano, nèhilo quidem, aut pilo melior, Nicolaus Vulpius, Miniſter alius Pſeudoeuangelicus, Jacobi Antonij Frater, (ô par nobile Fratrum) conſimili dexteritate mentitus eſt, in Danielem à Planta, de Steinberg, Engeddinæ inferioris, Vexillarium & Capitaneum Bartholomæum Lucium Cerneciẽnſem, quaſi hic dixiſſet: Malle ſe videre. vel ipſos, in laruis ſuis, & horrendiſſimis ſpoliis, Infernales Cacodæmones, quàm Miniſtros, aut alios quoſuis, Veneti Fœderis, mentionem facientes: Ille verò, Prædicantes; pro concione, Venetum Fœdus, populo inculcantes, ex ipſo ſuggeſtu, ſclopettis deturbandos. Hæc porrò, à Cacula Euangelico, Nicolao, eo fine conficta, publiceq; in Danielem ac Bartholomęum, eructata fuêre mendacia, vt cum Rudolphi & Pompeij, Fratrum à Planta, partes ſequerentur Vatinianum apud omnes, qui audiebant, odium incurrerent.

In mendaciorũ Palæſtra gnauiter ſe exercet Nicolaus Vulpius, exordium ibidem Muniſtellorum.

Nec ſibi defuêre, Cerdones alij Euangelici, ac præſertim Ioannes à Porca, Blaſius Alexander, Bonura Toutſch, Caſpar Alexius, & Petrus Ianetus, nam alij poſt alios, in hoſce & illos, quos à factione ſua, nouerant alienos, conuitia, falſiſſimasq; criminationes, è proprio conficta ſcerebro, pleno copiæ cornu, decurrentibus alueis, profundebant: Et quis tot conuitiorum plauſtra, quæ conuexerant; valeat exonerare? ad ipſorum Apologiam, qui futilibus hiſcè quiſquiliis, paſceris ac delectaris, ô bone lector, remiſſus eſto.

Nec mentiendi officio deſunt reliqui Miniſtri.

Concluſum tandem, vt tres, è toto Miniſtrorum numero, malitia, verſutiaque nemini inferiores, Blaſius inquam Alexander, Bonura Toutſch, & Georgius Geuatzius, menſibus aliquot, potiſſimas tres, confœderatorum regiones, equis circumuecti, ſolerter obirent, & Venetis, profuſiſſima, Ducatones atque Zecchinos, elargitione, ſuppe-

Legati à Miniſterio ad promouendum fœdus, ſeliguntur.

ſuppeditantibus, quod expetebatur, fœdus promouerent, eoque fine, oſtiatim atque viritim, aurum diſtribuentes, ſingulorum ſuffragia, & aſſenſum emerent, & compararent.

Boni interea legati, Aqualiculum egregiè curantes, & genio, interdiu noctuq; indulgentes, cum ab vxoribus abeſſent γυναικοκρατούμενοι, ſcortorum & meretricum commercio, apprimè delectati, comeſſando, tripudiando, Veneri litando, laſciuiendoque vitæ prioris impietatem & ſpurcitiem, nec obſcuris indiciis, declarârunt, nec de Miniſterij ſui authoritate, haud parum, detriuerunt. Quinimmò (nefandum dictu, & auditu, & quid viſu?) corâm libinoſis, corpore nudatis mulierculis, ſalaciſſimi HIRCI, turpiter etiam nudati, turpiſſimas choreas, inſpectãtibus, ac diris execrantibus laicis, ipſorummet Luthero Caluinianæ ſectæ addictis agitabant. Sileo multa, longè fœdiora, vt honeſtis parcam auribus, quæ ipſimet Rheti, ſe palàm, aut vidiſſe, aut explorato comperiſſe, teſtantur. Ignoſce obſecro, feruens caſtimoniæ cultor; vt hæc manifeſtarentur, iure ſuo, veritas extorquebat. Si tuæ conſultum voles, ô Chriſtianum pectus, ſaluti, à fructu arborem, à Miniſtrorum Euangelicis moribus, Euangelium agnoſce.

Caſtimoniæ Prædicantica nobiliſsimum exemplum.

Hic interim non ſilendum, eo vſque progreſſam, Venetorum liberalitatem, vt non ſolum Rheticis, Tigurinis, ac Bernatenſibus Miniſtris duntaxat, ſed & ſingulorum vxorculis, filiolis ac filiabus, præpingues, perpetuasque penſiones, aſſignarent, dummodo in ſtabiliendo, cum ipſis fœdere, mariti ac parentes, haud ſegniter, induſtrieq; laborarent. Quod in publicis, Curiæ, habitis comitiis, Georgius Salutzius, Curienſium, non ita pridem à ſymmiſtis, exauthoratus Miniſter, Commilitonibus hiſce ſuis, publicè obiectitauit, nec illi, infitias ire potuerunt.

Veneta liberalitas in Prædicantes.

CAPVT

CAPVT V.

Seditio à Miniſtris excitata; Iudices ſanguinis, è Miniſterio potiſſimum ſelecti.

QVÆ diuturnis hucuſque conſiliis agitata, & in omnem partem diſceptata, atq; ad varios euentus, firmiter, inuiolabiliterque decreta fuerant, & ſancita, nunc è Theoria, in praxin deducuntur, opere exercentur. Jam circumforanei tres illi, quos diximus, ſtentores, omnes, omnium propè confœderatorum vicos, pagos, oppida percurſitârant; iam Venetum Fœdus, omnium animis, atque pectoribus, inſculpſerant; iam communitatum capita, in partes ſuas attraxerant.

Nec ſegnius, alij Volones Euangelici, imperante potiſſimum Hercule à Salis, biennio toto, verbi Dei loco, pro concione, idem Fœdus, copioſis diſcurſibus, auditoribus ſuis, venditârant. Bellona ſcuticam militarem, vbiq; quaſſitabat, & improuidum vulgus, ARMA, ARMA, inclamantibus Miniſtris, ad arma ciebat. *Seditionis Rhetica primordia & progreſſus.*

Vexilla igitur protinus educi cœpta, armatorum cohortes, diſtribui, cunei militares, in aciem dirigi, ad vim hoſtibus inferendam, omnia comparari. Dixiſſes, Engaddinis præſertim, ciuilis huiuſcè diſſenſionis, primariis incẽtoribus, cum iuratis, Chriſtiani nominis, Hoſtibus, Turcis, rem eſſe; adeò dentibus in eos fremebant & frendebant, quos Venetæ ſocietati, nouerant aduerſari.

Expugnatur omnium primò, Caſtrum, Rudolphi â Planta, & nõ ſolum in ære numerato; ſed & comeatu, ſuppellectili, armorum apparatu, quæcunque inuenta, protinus expilantur, ac diripiuntur. Nec parcitur aliis, præſertim qui maturiori fuga, ſibi conſuluerant, & ab inſani populi furore, ſibi cauentes, in ſecurioribus quibuſdam Aſy- *Expugnatio Caſtri Rudolphi à Planta.*

lis, res ſuas, in tuto collocarant. Tum re quaſi præclarè geſta, Curiam contendunt, ibique caſtra metantes, â Centurionibus, & Pentacontarchis, qui ſingulis præerant cohortibus, quid vlterius tentandum, expectant.

Iudicij Tuſienſis inſtitutio,

Et ante omnia quidem, Hercule à Salis, Iodero, Gulero, Maiero, & complicibus aliis perurgētibus pro ſanguinario, vel potius, vti vocabant, punitorio iudicio, peſſimi quidam, partim è Miniſterio, Prædicantico, partim ex communitatibus conſcribuntur, quibus nomine Confœderatorum, Venetæ vnioni fauentium, poteſtas datur, ſiue capitis, ſiue exilij, & confiſcationis bonorum, ſententiam, in quoſcunque Papicolas, aut ſaltem Veneti Fœderis oſores tametſi Euangelicos promulgandi & exequendi.

Rebus in hunc modum ordinatis, exercitus omnis, ad oppidum Tuſienſe, locum vtpote iudicij, recens conſtituti, executioni deputatum, præpropero itinere contendit. Exinde huc illuc ſatellites & lictores, miſſitantur, & quotquot, de Hiſpanica, (vti aduerſarios traducere ſolebant) proditione, ſuſpecti erant, diſquiruntur, & in carceres ac vincula raptātur. Mox fictitiæ, & ſubdolę, imitato, cuiusq; manus charactere, conſcriptæ, proditionis literæ, expromuntur: Varia tormentorum genera, virgæ, ſcuticæ, lora, equulei, ſcalæ, pedum pondera, pollicum, crurium que retinacula, ac Trochleæ, igniti forcipes, ac laminæ, cum cæteris inſtrumentis, ad maleficorum carnificinam pertinentibus, expediuntur; duriſſimæ inſuper quæſtioni, qui comprehenſi erant, omnes & ſinguli, vnus poſt alterum, ſubiiciuntur, diuerſæq; in diuerſos, ſententiæ, prout quiſque, in Miniſtrorū LutheroCaluinianorum, iudicio præſidentium, odio vel amore erat, ſtatis cum cæremoniis, pronunciantur; hic gladio feriebatur; ille in quatuor partes

Iudicij Tuſienſis proceſſus.

tes

tes diſſectus, fruſtratim, quatuor diuerſis in locis, ſuſpendebatur; alij fuſtuario vapulabant; alij bonis, ac poſſeſſionibus omnibus, violenter exturbati, perpetuũ in exilium, eiiciebantur: Quæ omnia & ſingula, in Apologia, quam ipſimet Miniſtelli, procurante Ioanne à Porta, Ciceriẽſi Verbicine, Typis euulgarunt, membratim recenſita, continentur. *Fol. 19 pag. 2.*

O Euangelium, ô verbum Dei, cuius Prædicatores, carnificum diribitores, & Chironomantas, agere conſueuerunt. An hoc ſacrarum ſcripturarum monumẽtis conſentaneum? an legatione pro Chriſto fungentium, officio congruum? an diſpenſationi, myſteriorum Dei, conueniens? O dignum tali patella, operculum. O labra lactucis ſimillima, Aſino Carduos comedente; Miniſtro Euangelico, ſanguinarium iudicem agente. *Caluiniani Miniſterij dignitas.* *2. Cor. 5. Epheſ. 6. Epheſ. 2.*

Dum autem iſthæc funeſta ſpectacula, feruerent, Tigurinorum ac Bernatenſium legati, comparent, qui nomine Magiſtratuum, vtriuſque Caluinianæ ciuitatis, Rhetos Venetis addictos, ac præſertim iudices, è Miniſterio ſelectos, acriter inſtigent, & iam currentibus Calcar addant, vt contraria Hiſpanicorum, vt vocabant, proditorum ſocietas, è fundamentis exſcindatur. Nemini, vt parcant, exhortantur; ſi neceſſitas ingruat, aut ab externo Hiſpanorum milite, periculum immineat, non ſolum vtramque Rempublicam, ſed & nonnullos confœderatos, Germaniæ Dynaſtas, cum armatorum militum copiis, haud longo, interiecto temporis ſpatio, ſuccurſuros; ne in dubium vocent promiſſa. Quid hoc aliud erat, quàm oleum Camino addere? nec ceſſabant, vindictæ cupiditatem in Miniſtris, iam pridem maiorem in modum accenſam, quotidianis inſuſurrationibus inflammare, quamdiu in Rhetia ſubſtitêre. *Legati Tigurinorum & Bernatenſium inſtigant Miniſtros ad omnem crudelitatem.*

CAPVT VI.

Galliæ Regis legati, caſſa & irrita monitio, ad Miniſtros, turbarum auctores.

NON poterant ſeditioſa iſthæc, Prædicantium Conſilia, Ill.mum Dominum Stephanum Gueffier, Chriſtianiſſimi Galliarum Regis, ad Griſones Rhetos, Legatum, aut latere, aut ei, non, quàm maximè, diſplicere. Suam igitur, pro tot innocentibus, ad lanienam, bonorum pariter, ac vitæ raptatis; authoritatem, Regiæ Maieſtatis nomine, vt interponeret, quàm maximè neceſſarium, exiſtimabat. Adit igitur ſanguinariorum Capita, & Factionis Venetæ Principes Patronos, compellat Iudices punitorios, **Statrichter** / vti eos nominabant, inprimis verò Miniſtros, præ aliis, tantò ferocius ad effundendum ſanguinem properantes, quantò id alienius, ab eorum Miniſterio eſſe oportebat. Rogat, obſecrat, monet, ſuadet: ſed quid impetrat? Quid perſuadet? minus quàm nihil. Quinimò, contumelioſè reiicitur, & pro ſalutaribus conſiliis, atrociſſimas flagrionum illorum minas, reportat, vt nec in ciuitate Curienſi, vbi conſuetum, pro anteceſſorum more, obtinuerat Domicilium, tutò degere poſſet. Quamobrem inde ſecedens, Maienfeldiam, ad Rheni ripam, è regione Ragazzenſis oppidi, habitationem tranſtulit, vt ſi quod periculum imminèret, eo faciliùs illud euadere poſſet, & Aſyla quęrere tutiora. Quis non obſtupeſcat, barbaram planè, Prædicantium immanitatem, qui Gentium Iura, in quibus Legatorum authoritas ſacroſancta eſſe iubetur, tam atrociter violare, nefas non arbitrentur? Attamen vt eſt videre, Miniſtris Rheticis, omnia, quæ lubent, licent, ſiue iuſta ſint, ſiue iniuſta: Id enim ſusq; deque, vt quidam loquitur, ferre conſueuerunt.

Galliæ Regis Legati admonitio à Miniſtris ſuperciliosè contemnitur.

Repul-

Repulſam paſſus, Ill.mus Dominus Legatus, haud parum ignominioſam, atque in Regiæ Maieſtatis, cuius perſonam repræſentabat, præiudicium, apertè ceſſuram, non deſtitit tamen, boni viri officio, probè defungi. Fama iam paſſim increbuerat, extincta Hiſpanica Factione, decretum eſſe, in Miniſtrorum, Clauennæ celebrato conciliabulo, Curienſem Epiſcopatum, penitus abolendum, & Eccleſiaſtica bona, quod non ita pridem, celeberrimo Cur-Waldenſi Monaſterio, itidem contigerat, partim Fiſco, partim Miniſterio LutheroCaluiniſtico, aſſignanda eſſe, vehementer indoluit. Dubius itaque Conſilij, num ſeditioſorum Primipilos, ipſemet adeat, vt quod haud dubiè, breui ſecuturum fuerat, malum impediret; an verò per literas ageret. Suaſa, è multis eſt rationibus, pars tutior, & perſuaſa. Exaratis igitur, ad illos, literis, grauiſſimè, Regis nomine, exhortatur; apprimè cauerent, nequid detrimēti, Epiſcopatui Curienſi, à ſeditioſis Rhetis, inferatur: Chriſtianiſſimum Regem, eius vtpote cathedrális Eccleſiæ, ab antiquo, ſummum Protectorem. Ægerrimè, ſi quid tale accideret, laturum, & vindictam pariter, à ſacrilegis, pro demerito expoſciturum.

Euerſio Curienſis Epiſcopatus à Miniſtris decreta.

Legatus denuo fruſtra monet Prædicantes.

Quid ad hæc confœderati, Venetorum amici primarij? res ſanè perardua videbatur, quod ſemel in Prædicantica Clauennenſi Synodo, conſtitutum erat, infringere ac violare. Conſultum igitur, vt & Miniſtri, præcipuè illi, qui Tuſienſis Carnificinæ, Iudicio præerant, ad Conſilium euocentur. Veniunt; Legati literas, perlegi audiunt. Sed priuſquam ſingulorum ſuffragia exquirantur; Ioannes à Porta, Cicerienſis Miniſter, Blatero Procaciſſimus, in hæc verba prorumpit: Quid? an vnius hominis Galli, literulæ, præualeant toti congregationi, Miniſtrorum Verbi Dei? an vnicū illud, Papiſmum radicitus euellendi, & Euange-

Ioannis à Porta Prædicantis Conſilium, vt Legatus capiatur.

liũm noſtrum, longè lateque propagandi, medium omittatur? Galliæ Regis, Curienſis vtpotè Epiſcopatus, Protectoris indignationem comminatur: Verùm, quis nobis fidem faciet? quis nos aſſecurabit, hanc eſſe mentem Regis, quæ legati? hortor igitur & ſuadeo, vt Legatus tàm diu captiuus detineatur, donec miſſo ad Regem internuncio, de ipſius voluntate, certiores reddamur. Hæc Faſtuoſus ille, verbi Luthero Caluiniani Tubicen.

Legati porrò captiuitatem, & tàm apertam IVRIS Gentium violationem, nemini aliorũ, nec Miniſtrorum, nec Magiſtratuúm, placuit approbare: In eo ſolo, vnanimiter omnes, conuenêre, vt legationi, ad Regem deſtinandæ, homo, è toto Iudicum, ſelectus numero Idoneus præficiatur, idque vnicè præcauendum, ne Gallicus Orator, datis ad Regem literis, animum eius præoccupet, ac præuentum, Rhetiæ confœderatis, offenſum reddat.

De perſona, huic oneri ferendo, haud impari, tum agitari ceptũ. Omnibus igitur accuratius excuſſis circumſtantiis, omnium & ſingulorum pleraque vota, in Gulerum Polipragmonem, ſi quis eſt alius, Thraſonem, mendaciorumque Pharetrophorum, vnanimi adſtipulatione, conſensère. Js ergò, inſciis vniuerſis communitatibus, in Galliam ablegatur, ad Regem, vbi, eo cum fuco, Venetæ Factionis, Tyrannicam crudelitatem, ſic verbis extenuauit, ſic eleuauit, vt è contra, falsò prætenſæ Factionis Hiſpanicæ ſceleratiſſima machinamenta, ſupramodum, & fidem omnem, exaggeraret. Jd tamen optimo Regi ſummè diſplicuit, vel Epiſcopo, quem interea Miniſtri ad gladium condemnârant, vel Epiſcopatui Curienſi, vt Anteceſſoribus Galliæ Regibus, ita & ſibi, quàm maximè commendato, minimam contumeliam aut iniuriam, irrogari. Dimiſſus igitur ab Aula Gulerus, domum rediit, & re, vt

Gulerus Legatus à Prædicãtibus ad Regem Galliæ mittitur.

Rex Chriſtianiſſimus tuetur Eccleſiam & Epiſcopum Curienſem.

plurimum infecta, parum proſpera noua, commilitonibus, & verbi Congerronibus, è Galliis reportarunt.

Perrexêre nihilominus, præfractæ audaciæ, ne dicam perfrictæ impudentiæ, homines, & inprimis Logodædali Miniſtri, nemini parcentes, quià Veneto alienus, Fœdere, cum Auſtriaca Domo, Hiſpaniæ, Galliæque Regibus, Catholicisq; Heluetiis, iam olim pacta, & Iuramentorum Sacramentis, de alio non ineundo, aut admittendo, Fœdera, vigori ſuo relicta, & reſtituta cupiebant: Nā & gladio, aut Patibulo, aut membrorū & corporis ſectione, aut virgarū flagris, aut certè aliis pœnis, ſuccumbendum erat, id quod expreſsè fatentur in Apologia, ſub his verbis: **Etliche derſelben haben wir Bandiert / vnnd wo ſie in vnſern Gebieten möchten ergriffen werden / zum Viertheilen / Strangen / Schwerdt / oder mit Ruthen auſzuſtreichen condemnirt: Andere haben wir Ehr vnd Wehrloß erkendt: etliche auß vnſern Räthen vnd Thäten geſchloſſen: etliche an Gut vnd Gelt geſtrafft:** *Quoſdam eorum in exilium eiecimus; & ſicubi in noſtris Territoriis poſthac deprehendi poſſent, ſectioni in quatuor partes, laqueis, gladio, aut virgarum flagris adiudicauimus; quoſdam Infamia notatos, honoribus & dignitatibus priuauimus: Quoſdam è Conſiliis, Conuētibus & Municipiis noſtris, excluſimus: Quoſdā pecuniis, & poſſeſſionibus mulctatos, caſtigauimus.* Hæc propria oris confeſſio, tot exemplis firmata, cernitur, vt alia non indigeat probatione. Heus bone Lector, quid tibi, de hiſce, verbi Euangelici Battalogis, videtur? Tuum eſto iudicium, ex his præcipuè, quæ de ſingulis teſtatiſſima, mox producentur.

Propria Miniſtrorum Confeſſio.

Fol. 19. pag. 2.

CAPVT

CAPVT VII.

Egregiæ Dotes & Qualitates, Miniſtrorum Luthero Caluinianorum Iudicij Tuſienſis, Iudicum & Aſſeſſorum.

VT nemo non, apertis videat oculis, quantum Iuris & æquitatis, ab hoc iudicio ſanguinario Tuſij, e Prædicantibus primariè, conflato, ſperari queat, pretium operæ videbatur, Miniſtros Iudices & Aſſeſſores, quinimmò & executores, compendiosè, ſingulos deſcribere, & ſuis veluti coloribus depictos, omnium aſpectibus, perluſtrandos, propinare.

1. Petrus Ianet Cancellarius iudicij ſanguinarij. Primus occurrit, Petrus Ianet, patriâ Bergunienſis, & verbi Miniſter, apud Sexanienſes, communi, omnium patriæ turbatorum, voto, iudicij ſanguinarij Cancellarius, à ſeditioſo populo, Tuſij congregato, nominatus, creatus, publicatus, nec ſine ſolennitate, maximo cum applauſu Venetorum, inauguratus. Et quid hominis ille? O hominem & non hominem, aut ne vix quidem hominem; hominem, inquam, è dolis, fraudibus, impoſturis, mendaciis *Qualitates Ianeti.* compactum, infertum, conſarcinatum; cui nulla vnquam, tàm immenſa, tàm nefanda, occurrit iniquitas, quam pecuniæ, & lucelli cauſſa, non auſus fuerit deſignare. Quid, obſecro, iniquitatis, ab hoc homine, ſanguinarij iudicij Cancellario, ſuprema cum poteſtate conſtituto, non auſis expectare? res mille liquida eſt exemplis.

Et quid præterea eſt hominis, noſter ille Ianettus? O hominem non hominem; ſed ne vix quidem hominem; homo inquam, faſtu ſuperbiaque turgens, ac tumens, alta ſapiens, in mirabilibus, ſupra ſe ambulans, & Phariſaico inflatus ſupercilio, alios omnes, præ ſe contemnens, excellen-

cellentiæ ſuæ, eximius oſtentator; quid iniuſtitiæ, ab hoc homine, non timeatur? Heus Philaute, Ianette, ad te eſt, Poëtæ verbum: *Ioan. Gerſon.*

Vidi ego veſicam, modico turgeſcere flatu,
Quæ piſis ſonuit, quattuor impoſitis.
Hanc puer vnus acu pupugit: diploſa repente,
Vilis, & abſque ſono, flaccida detumuit.

Hoc tuum eſto cenotaphium, O Ianette.

Hunc pone, tum ordine, tum ſeſſione, ſequitur, Ioannes à Porta, Miniſter Cicerienſis, cuius parens, non ita pridem, fulminis ictu periit, haud meliore, poſt ſe dignum, perditionis, in fauſto ſydere natum, relinquens filium: Eſt is enim, tantus flagrio, tantus vitiorum omnium, inprimis verò, ingluuiei, & ſalaciſſimæ libidinis Gurges, quantus vſpiam reperiri queat. Jn tumultu, proximè à Venetorum mancipiis excitato, omnis mali fax, & incentor extitit. Nihil non turbarum, vbicunque vixit, excitauit, nihil non mali, vbicunque, vel minima occaſio, ſe obtulit, aut ſpes, perdendi Catholicos affulſit, non molitus eſt, non tentauit; ideoque Acatholicis æquè, vt Catholicis, communiter eſt exoſus; Quin & ipſimet Cicerienſes, quos Caluiniano paſcit ſemini verbio, ob tot mala, quibus ille ſe fontem, præbuit, & ſcaturiginem, atrociſſimis, caput eius, diris, quotidie execrantur. Malorum omnium, ac præſertim ſeditionum Tuba, meritiſſimo Iure, à ſuiſmet Caluinianæ ſectæ congerronibus eundem funem trahentibus, audit. Nemo illo, ad effundendum ſanguinem, ad torquendos & condemnẽdos, etiam innocẽtiſſimos homines, promptior & truculentior. Jn ſanguinario apud Tuſienſes iudicio, inprimis autem, in tortura Archipresbyteri, & condemnatione Epiſcopi, primarium egit iudicem, ſimul & accuſatorem. Thraſonem repræſentat inſignem, præ aliis collegis,

11 Ioannes à Porta.

Laudes Ioannis à Porta.

gis, & ſymmyſtis Euēgelicis: gloriatur enim, ſe tres primarias confœderatorum, claſſes, iuxta cerebri ſui normā, regere & moderari. Si quis in orbe vniuerſo, è Prædicātibus Pontificis, Epiſcoporum. Clericorum, Religioſorū, conuitiator vſpiam inuenitur, à nemine niſi vel ab ipſo diabolo vel ab hoc Porta, ſuperatur. Exēplo ſit hoc, de quo publicè conuictus eſt, quod è Cathedra, pro verbo Dei, auditorib⁹ ſuis, ſuperos omnes, Deos Deasq; omnes, in teſtes inuocando, ſumma temeritate effutiit: Nemini ex Clericis, Monachis, Ieſuitis, ex mandato Summi Pontificis, carnis ſtimulis, eo potiſſimum tempore, cum æſtiuo calore, ſol maximè feruet, mederi licere, niſi (ſit honor auribus) concubitu beſtiali; & ad hunc nefandum vſum, à Summo Pontifice, & Cardinalibus, tot mulas ali, &c. taceo fœdiora quæ de nobis in vulgus ſparſit. O Euangelicas veritates. Illud perlepidum veriſſimum tamen de ipſo, in tota Rhetia & Heluetia, ita compertum eſt, vt lippis & Tonſoribus, notum euaſerit: Vatij, non ita pridem, dogmata ſua Caluiniana, bonus iſte Pſeudoapoſtolus, diſſeminabat: Agitatur interim Veneris ardore, in tres, forma, pudicitiaque inſignes matronas, & verbis apertiſſimè laſciuis, ad nefandam libidinem, & concubitū, eas inuitat. At illæ, vti par erat, Connubialis erga Maritos, Fidei, memores, in Euangelicum Prædicatorem, pugnis & fuſtibus irruunt, ſalaciſſimumq; Flagrionem, ſic elumbatum, verberibusque exhauſtum, ex oppido eliminant, vt ibidem vix amplius, Priapæa hæc ſtratagemata ſua, auſit practicare. O bellum, ô iucundum ſpectaculum; quòd ſi mihi, coràm ſpectare licuiſſet, lepidiſſimo agyrtæ occinuiſſem, illud Horatij:

Famoſum & infame mēdacium.

Prædicantica eius caſtimonia.

lib. 1. Satyra 2.

Deſine matronas ſectarier: vnde laboris
Plus haurire mali eſt, quàm ex re decerpere fructum.

Sed ecce, tertius comparet iudex, in ſuo ſeſtitans tribunali.

bunali. Is eſt Stephanus Gabriel, Fetanus, ex Engaddina inferiore, Ilantij Prædicans, iam aliquot annis, quoad infamem, inconceſſæ Veneris praxin, conſodali ſuo Ioanni à Porca, ita ſimilis, vt nec ouum ouo, ſimilius eſſe poſſit. Immani porrò crudelitate, apud omnes eſt infamis. Hic dum Tuſij innoxium tormētis exagitat, & exercet, Archipreſbyterum Sondrienſem, B. M. Nicolaum Ruſcam, ipſis illis diebus, amittit filium vnicè dilectum, Rheni fluctib⁹ hauſtum & ſuffocatum. Atro Carbone, vt notetur, digna eſt eius Euangelica manſuetudo: Nam ad Ioannem Baptiſtam Zambra, qui primus omnium, in iudicio illo ſanguinario, vir grandæuus, ſeptuagenario maior, vt gladio vitam finiret, mortis ſentētiam excepit, cum feralem ictum, à carnifice, iam iam expectaret, atroci vultu, & ignem veluti, ſpirantibus oculis conuerſus, ſic compellauit: Heus tu proditor Zambra: æquali iam ſpacio, & à cœlo, & ab inferno diſtas. Quod ſi te Hiſpanicæ Factionis, quam acerrimè defendiſti, ſtudioſiſſimeque promouiſti, pœnitet, ſi prædeſtinatus es, gratiæ fortaſſis locum, inuenies; ſin minus, ad Diabolum ibis. Haud immeritò dixeris: Quin tu potius, ô mi Prędicans, ante omnes alios, ni reſipiſcas, ni pœnitentiam agas, & ab innoxiorum perſecutione, cædibusque deſiſtas.

III. Stephanus Gabriel.

Modus conſolādi morituros apud Caluinianos Miniſtros vſitatus.

Quartus iam lupus in fabula eſt, Iacobus Antonius Vulpius Fetanus, ex Engaddina inferiore, Fetani Miniſter. Tres hic habet fratres, omnes Luthero Caluinianos Prædicantes, Nicolaum, Othonem, & Braſvval, quorum pater, cum fatali lecto, morti proximus, decumberet, de Dei deſperans miſericordia, horribiliter eiulans, circumſtantes inclamat: ſe iam tum inferni pœnas ſentire: Horrendiſſima interim, in Deum maledicta & blaſphemias euomens, infelicem animam, in Tartareas flammas præcipitauit.

IV. Iacobus Antonius Vulpius.

Vulpiorum iſtorum parenti, duo fratres erant, latrociniis ambo, publicè infames; quorum alter, duos filios, ita ſimiles progenuit, vt vnus nouem, alter verò, quadraginta duo homicidia commiſerit; quibus, vt cognatione, Stephanus eſt proximus, ſic à ſanguinis effuſione, & Innocentium cædib⁹, in hoc præſertim iudicio, & Archipresbyteri Martyrio, nunquam fuit alienus. Vis plura? E ſycophantiarum paratura, totus eſt coëlementatus; totus inſuper, mendaciorum Olenticeto, incruſtatus: ſtrophas & φλυαρίας, omnes artificioſè nouit excogitare, vt opprimet in iudicio, Innocentes. Suſcitabulum inſuper & Flabellum ſe præſtitit, omnium in Rhetia tumultuum, ac diſſenſionum. Cætera ex aliis intellige.

Vulpij qualitates.

Quintus; & is Blaſius Alexander, Sentinus, ex Engaddina inferiore, Borbenij in Valle Telina, verbi Luthero-Caluiniani Graculus, præ foribus expectat, vt ſua quoque, pro meritis encomia reportet. Quis igitur ille? vitiis & flagitiis omnibus, non minus ſcatet, & perſcatet, quam ſupradicti eius anteambulones, in mentiendi libidine nunquam obtorpuit. Eſt inſuper veſica inflata ventoſior, dolis & fraudibus plenus, ac ſanguinis humani ſitientiſſimus, id quod vel ex hoc vnico illuſtri, quod edidit, facinore, ad oculum liquebit. Zambram, quadragies, repetita grauiori tortura, extremè iam excarnificatum, & ab equuleo pendentem, adit vnà cum ſocio, Bonura Toutſch, Cernecienſi, inferioris Engaddinæ, verbicine quondam Caſpani, modò Silij: vterque compaſſionis, & miſericordiæ laruam indutus,

V. Blaſius Alexander.

VI. Bonura Toutſch. Euangelicorū Miniſtrorum illuſtre ſtratagema.

Aſtutam vapido, ſeruant ſub pectore Vulpem.

rogant, vt ſuimet miſereatur, & ad ſpeciem ſaltē, aliqua in nonnullas perſonas, minutiuſcula, fatendo promat; Quod ſi morem gereret, pro Confeſſionis præmio, atque omni vlte-

vlteriori cruciatu, vitam ipſi cōdonaturos. Deinde è charta, facinora quædam, iam ante ab ipſiſmet ſycophantis Prædicanticis, in perſonas præſertim Catholicas, ex odio concepta; ſeque illorum conſcium extitiſſe, iubent, vt fateatur; ſi pareat monitis, benè quidem: ſin ſecus, ignem protinus, ardentesque faces, ita pendenti, ſe admoturos, comminantur. Quid hîc ageret, miſellus Zambra, inter ſacrum ſaxumque, ſpem inquam vitæ, & mortis fluctuans, metum? Juſſa faceſſit, & quæ perlegerant, in ſe & alios fatetur. Quid lucratur? nihil. Quinimò, tàm honoris, quàm vitæ, iacturam facit: nam illicò ex hac ipſa, per fraudem elicita Confeſſione, Miniſtri omnes ac præſertim Alexander & Toutſchius, conſident pro tribunali, & capitis ſententiam, in eum pronunciant, vt tanquam patriæ proditor, quadripartitim ſectus, in quatuor partibus ſuſpendatur. Quidam tamen, ex Aſſeſſoribus ſæculares, à Prædicantibus precario vix impetrarunt, vt quia vir Nobilis, & ſenio atque annis, eò vſque proceſſiſſet, gladio plecteretur. O famigeratiſſimos ſycophantas: O ſpectatiſſimos carnificinæ Tuſienſis laniſtas. Sed quid meus noui, ad laudum veſtrarum præconia lituus? Maiores tubæ, debentur honori veſtro.

Ad Gaſparem Alexium de Comogaſto Engaddinæ ſuperioris, Prædicantem Sondrij, in valle Telina, nunc ſermo nobis eſt, quid ille? De Diabolica eius tyrannide, in Archipresbyterum, & alios, plurima enumeranda occurrerent; ſed vnum de Zambra, reliquis, fidē, haud dubiam, conciliabit. Nam cum is ad ſupplicium raptaretur, morti proximè vicinus, nudato iam ad ictum Collo, coràm omnibus, qui aderant præſentes, Miniſtrorum fraudulenta vitæ condonandæ, & liberationis, ab intolerabilibus tormentis, pollicitatione, ſe turpiſſimè deceptum, quamplu- VII. Gaſpar Alexius.

 rima

rima falſa, tàm in ſemetipſum, quàm in alios, prorſus innocuos, pœnitenda temeritate confeſſum; Obteſtans præſentem populum, ne quid detrimenti, paterentur, ſiue in vita, ſiue in bonis, ſiue in fama, quos tali Miniſtrorum Vafritie, aſtutiaque, extorta Confeſſione, læſiſſet. Quod, ni accuratiſſimè præcaueretur, ſe apud ſupremi iudicis Tribunal, ſanguinarios hoſce, non Prędicatores verbi Dei, ſed hominum Carnifices, conſtanter accuſaturum; ſed ne plura, hanc in ſententiam diceret, ecce tibi præclarum Alexij noſtri, & Heroicum planè ſtratagema: Primum capitis annutu, carnifici dat ſignum, vt enſe ſtricto, hominem feriat: Id, cum is, aut non animaduerteret, aut fortè monentis, parum curaret verba, fortiter inclamat, Alexius: *Percute, percute, in nomine omnium Cacadæmonum.* O piam, animæ, extremo ſupplicio, affecti hominis, commendationē. Quid? an non hoc eſt, afflictionem addere afflicto? ſed aliud non fert, manſuetudo & compaſſio Euangelica, apud Miniſtros LutheroCaluinianos. Heus Alexi, accipe debitum tuum Encomium, à Poëta:

Reuocatio per fraudem extorta Confeſſionis.

Ordo commendationis animæ apud Prædicantes Vſsitanos.

Te lapis & montes, innataq; rupibus altis
Robora, te ſæua progenuêre feræ.

Ouid. Heroid. epiſt. 7.

VIII. Georgius Genazius, Samadinenſis, ex Engaddina ſuperiore, ibidem Prædicans, & ſanguinario Tuſienſium iudicio allectus, ob inauditam crudelitatem, vt in alios omnes, friuolè accuſatos, ita potiſſimum in Archipresbyterū, omnium ore celebratus, dignis & ipſe encomiis exornandus occurrit; Hircinam eius, & beſtialem penitus, prętęribo ſalacitatē; cum Poëta ei congratulor & applaudo:

VIII. Georgius Genazius.

Sæuior es triſti Buſiride, triſtior illo,
Qui falſum, lento torruit igne, bouem.
Quiq; bouem ſiculo fertur donaſſe tyranno,
Et dictis artes conciliaſſe ſuas.

Ouid. lib. 3. Triſtium.

Gaſpar

Gaſpar Bonorandus Lauinenſis, ex Inferiori Engaddina, Fanoſij, Vallis Rhetigoiæ Miniſter Logodulus, ſcortationum, adulteriorum, inceſtuum, inſatiabilis vorago, nunc in proſceniũ exit. Hic inter alia præclarè geſta, Archipresbyterum, ab equuleo & cataſta pendentem, hinc inde agitans, immaniter diriſſimeque cruciabat: Quinetiam, lipotomiam, animique deliquium, prę tormentorum exceſſiua grauitate patienti, nequiter & blaſphemè inſultabat: *Ecce iam ſacrificulus noſter, in ara patibuli ſui, priuatam celebrat Miſſam: ecce quàm ſe deuotum oſtendit; & alia multa in hunc ſenſum crocitabat.* Quinetiam, cum iam in tortura, expiraſſet, atque à Carnifice depoſitus, in ſtramine iaceret, acceſſit Furcifer iſte, pedibus eum trudens; ſurge, inquiens, Hiſpano Papiſtice Proditor, ſurge, ſurge; necdum ſatis eſt: ſi ſcelera tua fateri nolueris, omnia membra, tibi nō ſolùm, diſtrahentur, ſed & candentibus laminis, & flammis exurentur. Hæc equidem & alia plura, minis intermixta conuitia, Martyrio iam obito, non audiebat Archipresbyter, ſed ſi ſpiritum eius, quis tacitè quodammodo replicatem, intelligere potuiſſet, haud dubiè exprobrantem, inaudiiſſet:

I. X. Caſper Bonorandus.

Nota Miniſtri Euangelici Modeſtiam inſignē.

Quæ tibi res animos in me facit, improbe? curue,
Caſibus inſultas, quos potes ipſe pati?
Nec mala te reddent mitem, placitúmue iacenti
Noſtra? quibus poſſent illacbrymare feræ?
Exiget at dignas, vltrix Rhamnuſia pœnas,
Impoſito calcas, quòd mea facta, pede.

Ouid. lib. 7. Triſtium.

Extremum Areopagitarum, apud Tuſienſes, iudicum agmen, claudit Conradus Boul, Dauoſianus patria, & in eodem oppido, verbi Luthero Caluiniani Aulœdus, facetiis, ſalibus, & Priapæa facunditate, mirè, inter ſympoſia, fœcundus. Et quid mirum?

X. Conradus Buol.

E

Fœcundi

Fœcundi calices, quem non fecêre diſertum?
idq; potiſſimum, in Cupidinis, & eius laſciuæ matris, officina. Qua nam illa? Prædicantium conſeſſu, dum Archipresbyterum integris duobus pariter diebus & noctibus, vario tormentorum genere, diſcerperent ac laniarent. Interea namque, dum ipſi, vicino in cœnaculo, commeſſarentur, cantillarent, tripudiarent, cum meretricibus; quæ manipulatim conuocatæ, aderant, libidinarentur, gaudia ſua, grata quadam varietate interpolaturus, Buolius, ſæpius ac ſæpius ad Archipresbyterum venticabat, iocis & ſalibus, ſardonicisq; dicteriis, eidem inſolentiſſima ſcurrilitate inſultans. ſed quid ipſe? Deo ſe totum in corde intrinſecus conſignans, optimas animo cogitationes verſabat, quas ille, qui dicebat: *Ego autem orabam.*

XI. Bartholomæus Cornutus. Nec hic ſilendus, eximius ille, verbi, apud Maienfeldenſes Griſones Præco, cæterorum omnium Miniſtrorum Choragus, & Alypta, Bartholomæus Cornutus, ex orbẽdi Catholici ſanguinis, auidiſſim⁹, veluti Bubalus, aut Draco. Egit hic veredarium Caluinianorũ, ex imperio procerum; Tigurinorum itidẽ & Bernatenſium, ad Rhetię Prædicantes, & horum ad illos, miſſitãs literas, quibus illa in Catholicos ſeditio, & perſecutio concitaretur; quinimmò, & nouos occultosque characteres, excogitauit; quibus Prædicantica illa myſteria celarentur. Verùm Chorœbus noſter, dum Venetorum auro Tholoſano captus, amphoram ingentem formare nititur, Vrceolum fragilẽ effinxit. Nam & eius technę doliquè à Cordatioribus Rhetię patrię patronis, & patribus, deprehenſi, quem ſperabant, minimè ſortiebantur effectum; Et hi quidem, optimo iure, huic patriæ proditori, ominatum eunt,

Dij te ſummoueant, ô noſtri infamia ſecli
Orbe ſuo, Tellusq; tibi, Pontusq; negetur.

Et

Et alij compluces, è Miniſterio Pſeudoeuangelico, ſupradictis iudicibus, non ſolum in omni impietatis, & iniuſtitiæ ſtigmatibus compares; ſed & nefariæ crudelitatis comminiſtri, & coëxecutores, ſuis illuſtrandi coloribus, venirent: Quia tamen eiuſdem farinæ ſunt omnes, & qui coruum vnum viderit, alios, è pennarum nigrore, facilè agnoſcit, ſuperſedeo labori, vno verbo, ſi quòd homines ſint, excipias, homines nauci & nihili, & ne caſſa quidem nuce, digni, reperientur omnes, quà Euangelicos agunt Cornicatores. quid plura? plerique ſunt è triuiali popularium fece oriundi, ſalacitate hircina, fluxis ſpadonibus euiratiores, atque Arthemone Periphoretro, effœminatiores. Et quod turpitudinem adauget, phanaticæ belluæ, à mendaciorum glande, & conuitiorum furfuribus, nullo vnquam momento deſueuerunt. *XII. Alij è Miniſterio pariter & laici.*

Vos tamen, ô iniquiſſimi iudices, moneo, vt cogitetis iudicem illum ſupremum, de quo Manilius

Quæſitor ſcelerum veniet, vindexq́ reorum, *lib. 5. Aſtronomicorum.*
Qui commiſſa, ſuis rimabitur argumentis,
In lucemq́ trahet, tacitaq́ licentia fraude.
Hinc etiam immitis tortor, pœnaq́ miniſter
Et quiſquis vero fauit, culpamue peredit
Proditur, atque alto qui iurgia pectore tollat.

hæc feriatis aurium ſedibus excipite, & iuſtum vindicem Deum timete, *in cuius manus incidere*, vt Apoſtolus monet, *eſt* perquam *horrendum*. *Hebr. 10.*

CAPVT VIII.

Educatio, vita, mores & eruditio, B M. Nicolai Ruſca, ante martyrium.

QVÆ hucuſque, germana fide, candida veritate, vt à ſummis etiam viris, annotata, oretenus, ab oculatis teſtibus dictata, & ſacroſanctè affirmata, retulimus, eo fine, à nobis perſcripta ſunt, vt Archipresbyteri Martyrium, tanto illuſtrius, omnium oculis aſpectandum, exponatur. Sed vt tædioſa prolixitas euitetur, iam paullò propius ad ea, quæ ipſum Martyrem, vicinius attingunt, progrediamur.

Natales Archipresbyteri. Natus eſt Nicolaus Ruſca, Locarni, in præfectura ditionis duodecim Cantonum Helueticorum, parẽtibus honeſtis, & eximiè Catholicis, Chriſtianæq; pietati, præ aliis contribulibus, addictis; à quibus illicò, iam à teneris, quod aiunt, vnguiculis, ad omnem pietatis, ac bonorum morum diſciplinam, informabatur. *Ingenium capax.* Jngenium eius bonarum artium capax, à præceptoribus, mirificè commendabatur; nec erat è coëtaneis, qui eius iudicij acrimoniam, vel à longè aſſequeretur.

Studia. Efflorеſcebat tum temporis, Nobilis illa, Eccleſiæ Catholicæ, Palma, multiplicem fructum proferens, in tempore ſuo, ſanctus Carolus Borromæus, Cardinalis, & Archiepiſcopus Mediolanenſis, qui, vt non ſolùm oues, ſibi commiſſas, ſed & alias, ex alio ouili, Heluetios, inquam, & Rhetos, Mediolanenſi Ducatui vicinos, pro talento ſibi, à Domino concredito, pro virili iuuaret, atque à luporum immani rabie, iam tum, acriter gliſcente, protegeret ac præſeruaret, incredibili ſumptu, ampliſſimum ſeminarium, in quo Rheti & Heluetij adoleſcentes, non ſolum, in omni eruditionis genere, RR.dorum Societatis IESV Patrũ *S. Carolus Borromæus fundator Seminarij Mediolanenſis.*

opera

opera informarentur, ſed & in Chriſtianæ pietatis exercitiis, vſq; adeò excolerentur, vt S. Theologiæ ſtudiis, optato fine terminatis, veluti fulcra, Baſes atque columnę, collabeſcenti Catholicæ Religioni, in partibus illis, quodammodò ſubſtruerentur. Cuius diuiniſſimi planè inſtituti, exemplum ſanctiſſimus Archipræſul, à ſanctæ memoriæ Gregorio XIII. qui ſimili intentione, Collegium Germanicum Romæ, haud mediocri ſumptu excitauerat, prudentiſſimè, conſultiſſimeq; mutuârat. Ad hoc igitur, pietatis & eruditionis Gymnaſium, diuino haud dubiè conſilio, Nicolaus noſter & vocatur, & deſtinatur.

Mores eius, & conuerſatio in Seminario Mediolanenſi.

Mira de eo referunt, qui à puero, & à primis veluti, cultioris literaturæ incunabulis, eodem in domicilio vixerunt. Interalia, ingenij ac morum maturitatem, & iam tum in eius vita, eluceſcentem, vitæ ſanctimoniam, mirificè commendant, vt eo nomine, tum ſuperioribus, tum etiam SS.^mo Archipræſuli Carolo, vnicè gratus eſſet, & charus. Et illud memorabile inter alia multa, notatu dignum æſtimant; quotieſcunq; ſiue caſu, ſiue ex induſtria, S. Carolus, viridarium illud, à ſe fundatum plantatumque inuiſeret, & Nicolaum obuiam haberet, impoſita eius capiti manu, efformataque crucis figura, in hæc verba, quæ nemini alumnorum alteri, vnquam dixiſſe perhibetur, eſt allocutus: *Fili, certa bonũ certamen, conſumma curſum tuum; repoſita eſt enim tibi corona iuſtitiæ, quem reddet tibi, in illa die, iuſtus iudex.* Crediderim, nec Nicolaum, nec alium, quenquam eorum, qui hæc auribus hauriebant, intellexiſſe, quod tam celebris rerum, condecefecit euentus: nam Prophetiæ dono, haud dubiè informatus, Præſul ſanctiſſimus; præuidebat, Nicolaum Adoleſcentem, multis in Eccleſia Dei, laboribus, perfunctum, glorioſiſſimi corona Martyrij, pro religione Catholica obiti, feliciter inaugurandum.

Amatur à ſancto Carolo Borromæo, cæteris impenſius; Et quare.

Eruditio.

De eximia, qua claruit, eruditione, quid referam? in Philoſophiæ nõ ſolùm ac Theologiæ, ſed humanioris literaturæ ſtudiis, non Tironem, ſed potius Magiſtrum, inter Condiſcipulos, eum agere dixiſſes; adeo in diſputationum exercitiis, eminebat. Græcæ inſuper, & Hebraicæ linguæ, tantam aſſecutus erat peritiam, vt vtraque, promptiſſimè ſcriberet, & loqueretur; quo ipſo nomine, verbi vendulis, in tota Rhetia Prædicantibus, terrori erat: duabus enim in diſputationibus, vna Pluriis, altera Tiraui cum illis congreſſus, ſic eis ora obturauit, ſic fauces præcluſit, ſic vicit, ſic confudit, vt ne mutire quidem, poſt hac auderent, ſed pudibundo cum rubore, ex âſtantium Circo, ſe proriperent, & latebras quæritarent. Nec vnquam amplius, ab eo die, tantam, tanti viri, eruditionem, tentare, aut verbo, vel ſcripto titillare, aut laceſſere, præſumerent.

In diſputationibus Prædicantes confundit.

Odij Prædicantici potiſſima cauſſa.

Hoc ipſum eſt, quod odij pluſquã Vatiniani, fomitem omnibus Prædicãtium animis, excitauit, vt dies noctesq́; ſine intermiſſione, ſine vlla quietis intercapedine, eum opprimendi, & è medio, ſi qua fieri poſſet, vſpiam, tollendi, occaſiones captarent, quærerent, inueſtigarent, & inuentas, vtraque, quod aiunt manu, arriperent, & executioni, feruenter admodum inſiſtentes, molimini ſuo applicarent.

CAPVT IX.

Præclariſſimæ animæ Dotes, & virtutes, in vita Nicolai coruſcantes.

Vocatur ad Eccleſiam Curienſem.

SACERDOTII dignitate, emenſo iam Theologicorum ſtudiorum curriculo, inauguratus, Nicolaus, diuino nutu, ad Curienſem Epiſcopum dirigitur, cui præclaram, qua pollebat, induſtriam, complurium annorum ſpaciis, in animarum curatela,

tela, luculentiſſimè probauit; Ita, vt longè digniſſimus cenſeretur, qui reliquis Conſacerdotibus, in Archidiaconatu Eccleſiæ Curienſis præcipuo, Archipresbyter, aliis præficeretur; quo in officio, vt honoris gradu aliis, ita & præclaris virtutibus, ſpectabili exemplo, anteibat.

Tanta eius vitæ integritas, tanta honeſtas, tanta morum & conuerſationis comitas, tanta erat humilitas, vt nec ipſi Prædicantes, ad Clericorum defectus & vitia, lynceos euibrantes obtutus, quicquam, quod carperent, vnquam inuenirent. Tanta mentis, pariter & corporis puritas, & caſtimonia, omnem eius vitam, ita mirificè condecorabant, vt illibatum virginitatis florem, Martyrio conjunxiſſe, non dubitetur: Illud nempe, certum ac ratum, apud omnes, quibuſcum vixit, aut vnquã conuerſatus eſt, nec vllum, ex eius ore, aut laſciuum, aut etiam leue verbum, cecidiſſe: Nec libidinoſorum, vtriuſque ſexus hominum, ſiue præſentiam, ſiue etiam alloquium ferebat; adeò ſollicitè, cœleſtem, *in agro* carnis *abſconditum*, caſtitatis *Theſaurum*, cuſtodiebat. Sed quid iſta pluribus ego perſequor? nota ſunt, & hæc, & multò plura, quæ de Caſtimonia Nicolai noſtri, condecentibus poſſent encomiis efferri, nota inquam ſunt, in tota Confœderatorum Rhetia, & ab illis etiam, qui à noſtra Religione ſunt alieni, ſummis laudibus deprædicantur.

Vita eius Puritas & Integritas.

Matth 13.

CarnisMortificationibus, pręſertim occultis, quę non facilè in publico apparent, apprimè addictus erat, etiam in extrema ſenectute. Præter ſtata Eccleſiæ ieiunia, quotieſcunque Catholicos, neceſſitas aliqua premebat, ſponte ſua, ſæpiſſimè ieiunabat, & carnem affligendo, *in ſpiritu humiliato, cordeq́ contrito*, oues ſibi concreditas, Paſtor optimus, Paſtorum Principi, & ſupremo *animarum* noſtrarum *Epiſcopo*, commendabat. Feruentiſſimas preces, calentibus

Carnis propria mortificatio.

Studium Orationis.

 mixtas

mixtas lachrymis, interdiu non ſolùm, ſed & nocturnæ quieti, ſubtractis horis, Domino creberrimè offerebat. Lupos rapaces, Miniſtros, inquam Hæreſiarchas, Dominico Gregi, perniciem machinantes, haud *mutus, non valens latrare*, ſed vigilantiſſimus & ſagaciſſimus *Canis*, fortiter allatrabat, ſtrenuè fugabat. & eorundem impreſſionem, quanta vi poterat, abarcebat. Ex eius ore, *Verbum Dei viuum & efficax, omni gladio ancipiti penetrabilius*, egrediebatur: Eodem igne, quo Apoſtolorum linguæ, inſtructæ erant, dum omnis gratiæ Fontem, Spiritum ſanctum acciperent, eius itidem tinctam eſſe linguam, haud dubiè, auditis eius concionibus, affirmaſſes.

Vigilantia pro grege Eſaia 56.

Hebr 4. Actor. 11.

Zelus animarum.

Jllud porrò, perplacuit omnibus, rectè ſentientibus, quod tanto zelo, tantoque labore, homo etiam ſeptuagenarius, Puerorum Catechiſten ageret, & in Chriſtianæ doctrinæ rudimentis, paruulos, tanta dexteritate, tanta ſollicitudine, tàm impigrè informaret: quo in opere, vt eo maiori cum profectu, ac fructu, verſaretur, quidquid vbique, ſacrorum munuſculorum, corradere poterat, in eos diſtribuebat. Et vnde tanti viri zelus, vel maximè elucebat, Caluino Zvvinglianorum etiam & Lutheranorum paruulos, vbicunq; occurrebant, ſacroſancti Crucis ſigni, efformationē, modò nummulis, modò aliis apophoretis, vir tātus, paruulis etiam paruulus, & aliis *omnibus, omnia factus, vt omnes Chriſto lucrifaceret*, ſagaciter inſtillabat. Et cur id faceret rogatus; reſpondit: Vt vel in tanta, omnis Chriſtianæ pietatis barbarie, in paruulorum animis, veluti tabulis raſis, ſaltem aliquatenus, crucis & paſſionis Chriſti memoria, inſculpatur, & conſeruetur, cum Prædicantium inprimis opera, apud adultos, omninò obliteretur, & aboleatur.

Catechizatio paruulorum.

1. Corinth. 9.

Ardentiſſimam eius, in pauperes & afflictos charitatem,

tem, nolo memorare. Probarunt eam, mille millibus experimentis, qui circa eum verſati ſunt, æquè Catholici, atque Acatholici; vſque adeò ignis ille, amoris Dei & proximi, in fornace pectoris eius, exæſtuans, omnes ad ſe, quadamtenus appropinquantes adurebat & inflammabat. Quibus re ipſa & opere nequibat, conſolatoriis, vt minimum, verbis, & non rarò literis, atque conſiliis, promptiſſimè ſuccurrebat. *Charitas in proximos.*

Cæteras eius Heroicas virtutes, aliis non ſolum deprædicandas, verumetiam imitandas, relinquo; Modeſtiam, inquam, & animi ſubmiſſionē, ac manſuetudinem, in tolerandis, ac reprehendendis aliorū defectibus, ſummæ grauitati coniunctas; egregiam, fortitudinem, & conſtantiam imperterritam, in quibuſcunque arduis, aut ſuſcipiendis, aut aduerſis & calamitoſis, rebus exantlandis: Prudentiam itèm, & conſilij maturitatem, in conficiendis, quæ humeris eius, ex officio incumbebant. Neque enim propoſitum hîc nobis eſt, integrum, geſtorum eius, volumen, quod aliis relictū volumus, ſed breuem duntaxat Martyrij commentatiunculam, texere & concinnare. *Eiuſdem virtutes aliæ.*

CAPVT X.

Eius captiuitas & raptatio violenta ad carnificinam Tuſienſem.

INDIGNABATVR, vehementiſſimeq́; ſuccenſebat, malignus Cacadæmon, Præclarum adeò *lumen in candelabro*, Eccleſiaſticæ dignitatis, clariſſimo ſplendore rutilans, ita omnibus lucere, non ſolum, qui in domo Eccleſię, continebantur, ſed & qui extra eam demorabantur, *in tenebris & vmbra mortis*, vt lucis opera inſpicientes, è caligine paula i .. emergere, deſiderarent. *Matth. 5.* *Luc. 1.*

derarent. Omni proinde conatu, Facem illam lucidiſſimam extinctam ibat; quod vt perficeret, odium inprimis Satanicum, fellea liuoris amaritudine tinctis cordibus, Miniſtrorum LutheroCaluinianorum, inhalabat & afflabat; Calcaria deinde addebat, & extimulabat, vt dies noctesque, de inferenda ei nece, ſi non aperta vi, ſaltem occultè, præbito toxico, conſultarent. Feliciſſimè tandem, cecidêre infernalis Iouis taxilli, excitata, quam ſupra deſcripſimus, pernicioſa, in Catholicos, & alios cum illis de bono communi, rectius ſentientibus, ciuili ſeditione, ac populari tumultu.

Odium Diabolicum Miniſtrorum in Nicolaum.

Conſpiratio in eundem.

Foro itaque vtendum rati, vnanimi ſuffragio conſpirant, Archipresbyterum proditionis Hiſpanicæ reum agere, & huiuſce criminis prætextu, extremo ſupplicio mancipare. Animabat inſuper eos, ad tãtum ſcelus, audacter aggrediendum, ſuprema, in Iudicio ſanguinario, Iuris dicundi, authoritas, à tumultuante populo, obtenta. Non feriandum igitur, aiebant, ſed prima occaſione, vincula ei iniicienda, vt nihil tale ſuſpicans, ad Tribunal rapiatur.

Noctium conſilia.

Habito igitur, cum Sondrienſi Capitaneo, inſigni Caluinicola, & Venetæ factionis Coryphæo atque Anteſignano, quem Buolium de Malaters, vulgo appellant, hac de re, conſilio, vnanimi tandem voto, inſigne ſtratagema, & militarem ſtropham, concludunt: Nocte Concubia, domum eius, armata manu, inuadendam, eumque, vt patriæ proditorem, maleficumque hominem, in Carceres & vincula pertrahendum, ne, ſi interdiu fiat, ab alterius, & Hiſpanicæ Factionis aſſeclis, aliquid contra tentetur.

Capitur de nocte.

Sequenti ergo media nocte, nil tale, tum temporis, metuente Archipresbytero, Euangelici Miniſtri, Apparitoribus, publiciſque Capitanei Cerdonibus, mixti, armata

manu,

manu; domum eius circumdant, admotiſque ſcalis, per feneſtras, furum inſtar & latronum, vſq; ad Archipresbyteri cubiculum penetrant. Jbi tum, patriæ proditorem, exoptatiſſimam prædam, Hiſpaniæ Regis, ſingularem, & arcaniſſimum Secretarium, in caſſes ſuos & retia ſe iſthic compegiſſe, iactitant & gloriantur; Iam nunc tempus aduениſſe, iam diem illuxiſſe, quo nefariæ, in patriam pietatis, pœnas luere, oporteat. Apprehenſum igitur, quà manibus, quà pedibus, è ſtrato extrahunt, & ne vix quidem tantundem ſpacij relinquunt, vt habitu ſuo ſacerdotali, ſe conueſtiat. Jnduto poſtmodum, manus ligant, Compedes iniiciunt, & obuiis quibuſcunque in domo Archipresbyteri, ſupellectilibus, furtiuè ſublatis, ad carceres publicos, cum captiuo contendunt, vbi grauioribus oneratum vinculis, & Cyppis, vſque in poſterum diem, deputatis ad id ſatellitibus, maiorem in modum commendant, ne ab Aduerſariis (eius vtpotè innocentiæ conſciis) ipſorum poteſtati eripiatur.

Spoliatur Domus Archipreſbyteri à Miniſtris.

Noua iterum, de manè Conſilia, à Miniſtris inſtituuntur, in quibus potiſſimum controuertebatur, quid in Captiuum Archipresbyterum, quòd aliquo ſaltem Iuris prætextu, defendi queat, ſit ſtatuendum. Quòd Chriſtò ſeruatori euenit, in eius paſſione, id & ſeruo eius, Domino ac Deo ſuo, ſumma fidelitatis deuotione addicto, contigiſſe, re ipſa, clarum euadet. Et iam Proditoriæ, eum in finem, literæ, ad imitationem ſcripturæ, & Characterum Archipresbyteri, erant concinnatæ, partimq; , ab ipſiſmet Prædicantibus, conſcriptæ quibus, vna cum ſubornatis teſtibus, Innocentia viri, foret opprimēda. Vnicum ſupererat, vt ad Lanienam Tuſienſem, quantocyus pertraheretur.

Falſi teſtes contra eum producuntur.

Concluditur itaque, vt eadem adhuc die, vinctis poſt terga manibus, infami vectura, veluti maleficus quiſpiam

latro, Tuſium deucheretur; & haud dubiè quidem, ſic vinctus, & compedibus conſtrictus, media die per ciuitatem abducendus erat, ni ſæculares quidam, è primoribus Confœderatorū, Prædicantico furori, obſtitiſſent, & quod ad ſummā Archipresbyteri ignominiam, Miniſtelli excogitârant, impediiſſent; aſſerentes, æquum haud eſſe, nec decere, Eccleſiaſticum, licet Papiſticæ Religionis, hominem, nec dum aut ſceleris conuictum, aut condemnatum, ſic ignominiosè vinctum, inſtar Furis, in Ius vocari. Equo igitur ſtrigoſo ac macilento impoſitus, flente tota ciuitate, à magno ſclopetariorum numero, in comitatu ſanguinariorum Iudicum, ac præcipuè Miniſtrorum, Tuſium peruenit; vbi cum appuliſſet, Miniſtris ad refectionē, & saginam aqualiculi, lautiſſimumq́; Epulum, contendentibus, ipſe intereà, in ſqualidiſſimum carcerem detruditur, & vix mucidi panis fruſtulo, cum aquę hauſtu, cibatus ac potatus, ſine mora, ad ſubterraneam torturæ ſpecum, à carnifice ductus, omniq́ue tormentorum apparatu, de more perterrefactus, monetur, in præſentia Iudicum, qui aderant, vt lubens volensq́ue, proditionem fateatur, manum ſuam, in proditoriis, quas exhibebant, literis agnoſceret, nec inficiando, iam ſemiplenè probatum crimē, vim omnem torturæ, ſe iam iam expectantis, in caput ſuum, concitaret. Quid porrò comminationes haſce, tam atroces, conſecutum fuerit, deinceps audiamus.

Tuſiū vinctus abducitur.

Ducitur ad locum Torturæ.

CAPVT

CAPVT XI.

Biduana equulei tortura, à Miniſtris Luthero-Caluinianis diriſſimè excarnificatur.

INTEREA, dum, quæ diximus, agerentur, ſuperuenêre inſanientes Miniſtri, iam epoto largius mero, incaleſcenteq; cerebro, ad inſaniam propemodum redacti, cum horrendiſſimis primum, contumeliis atque conuitiis, Nicolaum proſcidiſſent, minaciſſimis verbis, vt manũ, & ſuas, ad prodendam patriæ libertatem, ad Mediolanenſem Gubernatorem, alioſque ſcriptas, recognoſcat, literas, crimenq; fateatur, alioqui ſic in Cataſta extendendum, ac diſtrahendum fore, vt nec vnicum, totius corporis, membrum, in ſua, cum altero, iunctura & compage ſine acerbiſſimo cruciatu, relinquatur. *Comminatio Miniſtrorum.*

At ille conſtanti, & imperterritò animo, abſque vlla trepidatione, nec literas illas, manu ſua exaratas, neq; etiã proditionis alicuius, ſe reum eſſe, neque in æternum, à ſe patratum tale ſcelus, probari poſſe. Accerſuntur itaque falſi teſtes, qui cum falsò aſſererent, eum à Mediolanenſi Gubernatore, non ſemel, ſed ſępius, haud exiguam aureorum ſummam, accepiſſe, in eum finem, vt patriæ libertatem, Hiſpanis proderet, & Nicolaus, loci, temporis, perſonarum, aliarumque circumſtantiarum, qualitates, paullò ſagacius, ab illis expiſcaretur, confuſi & pudefacti, ſceleratiſſimi homines, omninò conticuerunt. Miniſtri tamen, ſufficiens illorum teſtimonium eſſe, importunis clamoribus iactitantes, iubent vt aſtans carnifex, eum, ſine mora, in equuleo ſuſpendat: iuſſa faceſſit carnifex, & veſtibus ſpoliatum, iam propè octogenarium, prægrandi ſtatura, & vaſto corpore ſenem, parat ad crudelem lanienam. *Inſimulatio proditionis.* *Falſi teſtes à Nicolao confunduntur.* *Suſpenditur in equuleo.*

 Cum-

Cumque manum vtramq; poſt terga ligaturus eſſet, commiſeratione tactus, erga tantum, talemque virum, non ita preſſè ac fortiter conſtrinxit, ne nimium grauiter, luxatis omnibus membris, diſtractoque pectoris thorace, ſauciaretur. Sed en tibi, nouum & Euangelicum Miniſtrorum facinus. Viderat Ioannes à Porca, Cicerienſis Miniſter, carnificem, non ita fortiter conſtrinxiſſe manus, accurrit vnà cum Symmyſtis, Blaſio Alexandro, Bonura Toutſchio, Gaſparo Alexio, ac Stephano Gabriele, & obiurgato, horrendum in modum, Carnifice, apprehenſis Archipresbyteri manibus, funeque ſoluto, vtrumq; Pollicem, primum fortiſſimè compingunt, vt vel is cruciatus, conſtantem virum, terrere potuiſſet; colligata deinde, in extremis ſuperficiebus, vtraq; manu vnà cum Carnifice, penſilis eum alligant, funis vncino, paulatimque in ſublime trahunt, vt quò diuturnior, eò grauior, è tractura mediocri, ſequeretur cruciatus. Et ſic relictus eſt penſilis, vt minimum horis circiter tribus.

A Miniſtris ligatur fortius quam à Carnifice.

Vrgebant quæſitores, contumelioſè inſtabant Prædicantes, vt ſcelera, de quibus accuſaretur, tandem aliquando, proderet, fore alioquin, vt noua & grauiora, tormentis hiſce, ſuperadderētur; At ille, animo ſibi ſemper præſens, & ſimilis, conſtanter negauit, & literas, & teſtimonia, quæ produxerant, & omnem proditionis ſuſpicionem, fortiſſimis argumentis à ſe, ſuam Domino Deo Innocentiam, calentibus obnixè precibus, commendans, rēiiciebat. Ira proinde grauiſſima ſuccenſi, Prædicātes, certatim in eum, vt è fune pendebat, irruunt, & apprehenſis viri pedibus, magna vi deorſum trahunt, vt nō ſolùm corporis mole, ac pondere; verùm etiam hac ipſa tractura Prędicantica, omnia propemodum membra creparent, ſuiſque dimota locis, horrendiſſimos dolores, experirentur. Quid ille interea?

Innocentiam ſuam conſtanter defendit.

Grauius adhuc ab ipſiſmet Prædicantibus torquetur.

terea? Cruciatus, quos patiebatur, ſacratiſſimis Saluatoris vulneribus, coniunctos, pro expiatione ſuarum, quas in vita commiſerat, fragilitatum, contrito ſpiritu, & corde contribulato, iugiter offerebat.

Alia Tormentorum exaggeratio.

Vt porrò pendentis dolores, adhuc magis magisque acuerentur, & exaſperati, verbum aliquod, in vitæ ſuæ detrimentum, Nicolao exprimerent, accurſitabant, Miniſtri ſubfrequenter, concuſſatoque ac tremefacto fune, nouos ſubinde cruciatuum aculeos, veteribus accumulabant. Nec vel ad temporis punctulum, ceſſatum ab exagitatione.

Blaſphemia & cõuitia quibus Miniſtri Nicolaum in Equuleo infeſtabant.

Blaſphemias porrò, & opprobria, quibus innocuam eius vitam, turpiſſimè contaminabant, quis omnes recenſebit? Hic manus supernè pendentis attendens, dictitabat: Ecce quam pulchrè hic ſacrificulus Miſſaticus, Paniceum Idolum ſuum eleuat in hac, quam celebrat Miſſa? Alius tacentem, & corde intrinſecus orẽtem, ac mentem in Deum iugiter eleuantem, conſiderans, nugabatur: Sinamus illum, & miſſum faciamus; nunquid videtis eum, ſecretas orationes, & Canonem Papiſticum muſſitando, recitare? Alius, brachiorum diſtractionem, & ſcapularum rupturam, à dorſo in pectus vſque, retortarum, contemplans; Videtis, inquiebat, quàm pulchrè illi aptata ſit, veſtis Miſſatica, quam Caſulam vocant? Alij turpiſſimos ſales & iocos, addebant, quibus Archipresbytero illudebant; Alij; quoties cum meretricibus, rem habuiſſet? quoties hæc vel illa (nefanda & abominanda non memoro, quæ proferebant, ne honeſtis auribus, offendiculum pariam) quoties, inquam, talia deſignaſſet? Durabat hæc exagitatio vſque in veſpertinum tempus.

Abière itaq; Miniſtri, ad cœnã, lautam & opiparam, vbi cum publicis ſcortis, cõmeſſantes, tripudiantes, adulterantes, & vel dictu nedum factu, nefanda, complura patrantes;

colaum interim, in equuleo pendentem, & cum eo Notarium, teſteſque duos, ſi fortè quid fateretur, in torturæ loco, relinquunt. Nihilominus interim, per vices, nunc hic, nunc alius, è Prædicantibus, mictum fortaſſe, ab epulo, aut tripudio excedens, ad locum torturæ ventitant, inibique fatiſcentem in tormentis Nicolaum mirificè diuexant. Et ne vix quidem intercedentibus quibuſdam ſæcularibus; Iudicij Aſſeſſoribus, impetrari potuit, vt ſub noctis crepuſculum, à tortura, vel ad dimidiatam horam, demitteretur, vt hauſtulo vini, vel aquæ, aliquantulum reficeretur, metuentes nimirum, id quod euenit, ne in tam diuturnis tormentis, deficeret, & exhauſtis tàm diuturno cruciatu, viribus, morte nimium præmatura, extingueretur.

Mitius agunt cum Archipreſbytero ſaculares Iudices, quã Miniſtri Caluiniani.

Jam commeſſatum, tripudiatum, libidinatumque ad nauſeam erat, à Prædicantibus, cum ecce denuo vino madidi, ad torturæ locum, plerique conuolant, & importuniſſimis obiurgationibus, carnificem adigunt, vt Archipresbyterum, nolens volens, denuò, ſic, vt antea ligatum, in equuleo ſuſpendat. Quin & ipſi manus applicant, toto corpore, viribus defectis, maiorem in modum debilitatũ, è ſtramineo, in quo iacebat, ſubſternio, cacchinantes, & Sardonico riſu, multa in eum dicteria, parum honeſtè iactitantes, abſtrahunt, & harpagoni tractorio iniiciunt. Quid dicam? torquetur in equuleo, concutitur, trahitur, hinc inde, vt penſilis erat, truditur, excarnificatur, inceſſanter, tota propemodum nocte.

Repetitis Tortura.

Mira Archipresbyteri patientia.

Videre erat & audire, admirabilem viri patientiam; nec enim vel indignabundum verbulum, in immanes hoſce tortores, Miniſtros inquam Prædicanticos, vnquam protulit, vel impatientiæ ſignum edidit: quin etiam, frequentiſſimè, Domino Deo, gratias agebat, quod eum ad hanc dignitatem, indignum & immeritum, euexiſſet, qui

aliquid,

aliquid, pro gloria diuini nominis, in hac vita pateretur; Id vnicè rogabat, fortitudinem & conſtantiam, qua poſſet, in eius ſeruitio, ſanguinem etiam, & vitam profundere, & ſe ipſum in holocauſtum, ad teſtificandam, Catholicæ Religionis veritatem, offerre.

Nec mitius, ab inhumaniſſimis, ſæuiſſimisque leonibus, exceptus fuit, altera ſequenti die: Nam etſi non ſolum luculentiſſimis, ac planè ſufficientiſſimis rationibus, & argumentis, Innocentiam ſuam purgaret, palamque probaret, & intentatas, Aduerſariorum, fraudes, ad oculum, Iudicibus vniuerſis, egregiè manifeſtaret, torturam tamen, heſterna multo diriorem, ſubire cogitur. Matutino igitur tempore, ad medium vſque diem, denuò in equuleo, additis etiam, atque ad pedum digitos, ponderibus alligatis, ſic toto corpore laceratur, vt ad obiectum ſolis ſplendorē, omnia eius interiora viſcera, pellucidiſſimè apparerent. *Altera die denuò ſubiicitur quæſtioni.*

Ineffabilia interim cruciamenta, incredibili tolerantia, ſufferebat, neq; aut falſos teſtes, aut Miniſtros ſuiſmet manibus, tormenta inferentes, immò & abominandis aggrauantes petulantiis, ac Diabolicis inuentis accumulantes, vt meritò poterat, obiurgabat: ſed aut tecum tacita cogitatione, aut verbis etiam apertè prolatis, agonem ſuum, Domino impenſiſſimè commendabat. Nec ceſſatum, ab excruciatione, atque tortura, cum prandij tempus immineret, abeuntibus licet Miniſtris, vt corporis refectioni, & genio vacarent. Juſſerant namque, ne deponeretur à Cataſta, ni ſcelera faſſus fuiſſet, tametſi in mille partes, diſcerpendus foret. Miſerabile ſanè ſpectaculum, & ſanguineis planè lachrymis, vtique deplorandum, ab immaniſſimis hiſce Logotribis, nec ſenio, nec ſacerdotali ordini, nec Innocentiæ, meridiana luce clariori, compaſſionis aliquid exhibitum aut impenſum. *Patientia planè incredibilis.*

Noua

Noua iterum certamina inſtant fortiſſimo Chriſti Athletæ, noua vincendi materia offertur, cum Prædicantes à prandio, benè poti, ac mero madidi, ad torturę locum rediiſſent: Nam diris ac miris modis, violentis non ſolum linguis, ſed & manibus, eum adorti, toto illo veſperi, aures non ſolùm eius, innumerabilibus conuitiis, & opprobriis, tàm in eius perſonam, quàm in Pontificem, Cardinales, Epiſcopos, Clericos, Monachos, Ieſuitas, pudibundis & contumelioſis dicteriis, falsò iactatis, vſq; ad ſummum oppleuerunt; ſed & qua infernè trahendo, qua hinc inde trudendo, qua percutiendo, qua pedibus adhærentia pondera quatiendo, qua totam corporis molem, è fune pendẽtem, circumagitando, mille nefandis cruciatibus, eum ſic exhauſerunt, vt ſpiritum, ægerrimè quidem traheret; at nihilominus ab oratione, ne vnico quidem momento, ceſſaret; ſed tàm ſe, quàm oues ſuas, immò & totius Eccleſiæ ouile, Paſtorum Principi, fidelis Paſtor, impenſiſſimè commendaret.

Noua cruciatuum genera contumeliis adiuncta.

Vrgebat porrò, inprimis Petrus Ianetus, inter Miniſtros Iudices, Tuſienſis Lanienæ, Cancellarius conſtitutus, vnà cum Ioanne Baptiſta Porta, Blaſio Alexandro, Gaſpare Alexio, & pleriſque aliis, è Fœce Prædicantica Primiceriis, niſi tandem aliquando, ſcelera ſua panderet, ad ignitas faces, candenteſque laminas, vt veritatem extorqueant, proceſſuros. Conuerſus igitur, ad ſuperioris Ligæ Cancellarium, obnixiſſimè rogans, vt quæ dicturus eſſet, diligentiſſimè notaret: ſe enim nihil aliud, niſi, quod conſcio, ac teſte Deo, qui eſt prima, & ſumma Veritas deprompturum. Loqui iuſſus, linguam illicò in hæc verba reſoluit: Inſcribe chartæ tuæ, me prorſus innocuum eſſe, & ab omni proditionis culpa, ob cuius ſuſpicionem vſque ad mortem, excrucior, in omni mea vita alienum extitiſſe.

Genuina & candida Archipresbyteri Confeſſio.

Meam

Meam inſuper Innocentiam, teſtabitur Deus, cum Tribunali ſuo diuino. Sed quia diuinę eius prouidentię complacet, vt pro Catholicæ Religionis teſtimonio, vitam meam, & ſanguinem profundam, exoptatiſſimam hanc gratiam, promptiſſimo mẽtis affectu, accepto, & vobis, omnes, quas intuliſtis, iniurias, ex Chriſtiana charitate, condono; quin etiam, veniam à Deo, vnicè depoſco, & vtinam efficaciter exorem. Dum verò Cancellarius nihil annotaret, denuo verba repetit, & hanc vnicam ſuam, atque vltimam Confeſſionem eſſe, profitetur.

Auditis hiſce, mirum dictu, ſtupendum viſu, atque auditu, quàm inſanierint Prædicãtes, quàm acerbè, quàm crudeliter, faciem Martyris conſpuendo, corpus pugnis percutiendo, in rotam circumq; verſando, hinc inde trahendo, emacerârint. At ſtrenuus pugil, non ſolùm dolores, ſed & contumelias, infracto ſemper animo, patientiſſimè ſufferebat, & ſe omnipotenti Deo, ad grauiora perferenda, immò & mortem, pro nominis eius gloria, ſubeundam, offerebat. Jam cœnæ tempus, in vicino aderat, relinquitur Dei ſeruus, in patibulo torturæ, Miniſtri omnes ad vnum, denuò commeſſatum, tripudiatum, luxuriatum, cum Amaſiis ſuis, exinde abſcedunt, relictis aliquot, vnà cum Carnifice, Teſtibus ac Tabellione, qui, ſi quid forſan, quod vnicè in votis erat, grauius eructaret, vnde proditionis ſtigmate, inuri poſſet, illud, quàm diligentiſſimè annotarent. Actum tamen agunt: manet ille conſtans, in omnibus, quæ protulerat: Cumq́ue cruciatibus penitus eneruaretur, & vitæ huius ærumnoſæ finem, ſibi propemodum inſtare, animaduerteret, toto pectore, ad Domini aduentum, ſeſe comparabat; vt eadem illa nocte, cum ipſo, ad cœleſtes, ſupernæ patriæ, nuptias aſſumeretur.

Cœnatum abeuntibus Miniſtris, relinquitur in tormentis.

CAPVT XII.

Strenuiſsimus Chriſti miles, extinguitur in tormentis.

DVM Luthero Caluiniani Miniſtri, Baccho, Venerique, deuotè ſacrificant, Archipresbytero, in equulei tortura, relicto, funis hinc inde tortus, atq; retortus, nunc ad dextrum, paullò poſt ad ſiniſtrum latus, circumagitatus, nemine animaduertente, neque ipſo, qui præſto aderat, carnifice, id ſentiente, tàm corporis mole, quàm põderis grauitate, diſruptus, in cauſſa fuit, vt Archipresbyter, ſic vt erat ligatus, atque extenſus, corrueret in terram, ruptisque in pectore, & circa præcordia concurrentibus & cohærentibus venis, copioſiſſimum ex ore, & naribus, ſanguinem, egurgitaret. Carnifex igitur, ad vicinam ſtraminis congeriem, eum trahit, allatoque ſtrophiolo, ſanguinem defluentem, abſtergit. Curſitatur interea, ad Prædicantes, (votiua & ingentia, pro Venetæ Factionis ſanitate, pocula, prolixiſſimis tractibus, euacuantes) & quid in torturæ loco contigiſſet, indicatur. Quid illi? relictis epulis, ac temeto partim ebrij, & partim furore correpti, ad officinam illam Euangelicam, cateruatim conuolant, & Seminecem Archipresbyterum, ſanguinemque ex ore & naribus, copioſè fundentem, offendunt. Aſſidebat & carnifex, & illachrymans, compaſſionis affectu, copioſiſſimè decurrentem, ſtrophiolo abſtergens cruorem, quem verbis hiſce ſalutabant: Quis (malum, Furcifer) quis iuſſit iſthæc, quæ facis? Eia age, vociferabatur Ciceriensis Miniſter, Ioannes à Porca, in equuleum denuò leuetur, & acrius, quàm nunquam antea, torqueatur, donec, quod volumus, exprimatur, & extorqueatur. Cum itaque vir Dei,

Rumpitur funis & Archipresbyter cadit in terram.

Votiua pocula pro Venetæ factionis ſanitate.

Copioſum ruptis præcordialibus eius mittit ſanguinẽ.

Dei, pedibus amplius conſiſtere non valens, à carnifice, ad equulei funem, ab ipſiſmet Prædicantibus denuo reparatum, ſolus attrahi & ligari non poſſet, Miniſtri certatim, ludicra verba & iocos, in eum iacientes, Carnifici, opitulatrices manus exhibent, iterumque ſtrictiſſimè, à tergo ligatum, extrahunt in Cataſta. Noua hîc iterum tormenta, nouam patientiæ Conſtantiæq; ſegetem, Martyri præbebant.

Re igitur, vti autumabant, optimè geſta, Miniſtri ſympoſium repetunt ſuum, & eximiè, toto tempore, cum ſympotis, vtriuſque ſexus, pergræcantur, & Veneris pariter, & Priapi latria occupantur. Interea Chriſti Agoniſta fidelis, mortem, iam iam præ foribus, pulſare, magis magisq; perſentiſcens, totis viribus, ad felicem exitum, ſeſe comparabat, Cordeque contrito, ac ſpiritu contribulato, non ſine lachrymis & ſuſpiriis, affectuosè clamabat: *Ah Domine* I E S V, *tu noſti, quod de omnibus, totius vitæ meæ, erratis, vnicè doleam, cuperemq; in hac extrema vitæ periodo, ſi copia ſacerdotis daretur, omnia & ſingula, ſinceriſſimè, confiteri, quin etiam ſacroſancto, corporis & ſanguinis tui viatico, ante obitum meum, dignè communiri: ſed quia id fieri nequit, accipe, ô miſericors, & clementiſſime Saluator, accipe voluntatem, & reputa pro facto. Et illud vnicè te rogo, Domine* I E S V, *vt omnibus illis, qui me odiosè perſequuntur, vſque ad mortem, quidquid in me deliquerunt, condones, & in perpetuum ignoſcas, ſicut te teſte, & ego illis, ex animo condono & ignoſco.* *Oratio Martyris in mortis articulo conſtituti.*

Hiſce prolatis, ſubticebat aliquantulum, quaſi mentis deliquium, aut neruorum conuulſionem, & virium paulatim expirantium, ſpaſmum ſubiiſſet: ſed mox ad ſe redibat, denuoque eleuata in Deum mente, ſeductos à Luthero Caluinianis Miniſtris, Confœderatos Rhetiæ incolas, Domino commendabat, vt ad veram fidem, orthodoxamque Religionem, in qua vera & vnica ſalus, reducerentur.

Iterata oratio. rentur. Catholicorum verò puſillum gregem, inter cæteros Griſones, à Caluinianis mirificè vexatum, ſacratiſſimo cordis eius vulneri, feruentiſſimis precibus conſignabat. Conuerſus deinde, ad Glorioſiſſimam Virginem Dei matrem, cœli terræque Reginam, S. Nicolaum, & Curienſis Eccleſiæ patronos, ipſos, vna cum S. Archangelo Michaële, totoque cœleſtium ciuium exercitu, ardentiſſimè precabatur, vt ſibi in hoc vltimo certamine, & agone, ſuis apud Deum precibus, patrocinari ac ſubuenire, dignarentur. Hiſce precibus efficaciſſimis, inflammatiſſimisque verbis, abſorpta, penitus in Deum, mente, perſolutis, denuò ad Chriſtum conuerſus, ſacratiſſima eius vulnera deuotiſſimè, vti tota vita anteacta conſueuerat, paullò ſubmiſſioribus verbis, deficiente paulatim ſpiritu ſalutabat, non ſecus, ac ſi Chriſti, in cruce, pendentis, prototypam effigiem, ante ſe pendentem, conſpiceret.

Martyr in agone ſalutat ſacratiſſima Saluatoris vulnera.

Jnſtabat iam beatiſſima illa horula, in qua cœleſtis Archiſtrategus, egregio militi ſuo, Martyrij laureolam, ab æterno deſtinatam, decreuerat impertiri. Agonis itaque certamine ingruente, animam ſuam, in diuinis manibus, immò & ſacratiſſimis Chriſti vulneribus, ſæpius iterata prece, ardentiſſimè commendabat: Ac tandem, inuocatis, & ſine intermiſſione repetitis, ſalutiferis nominibus, IESV & MARIA, oculos ipſemet placidiſſimè claudens, ſpiritum creatori ſuo, tranſmittebat, collachrymantibus etiam, & vicem eius, & mortem condolentibus, illis, qui dum in equuleo penderet, quid proferret, quid diceret, iuſſi erant, accuratiſſimè obſeruare. Geſta ſunt hæc XXIII. Auguſti ſtylo veteri anno M. DC. XVIII.

Moritur pendens in equuleo.

CAPVT

CAPVT XIII.

Quædam Archipresbyteri mortem illicò conſecuta.

NVNCIATVR interea iudicibus Miniſtris, Archipresbyterum iam vita functum eſſe, accurritur ad torturæ locum, è fune demittitur, accenſis luminibus, Miniſtri vultum eius contemplantur, ſolidoque ſplendidiorem, viuacioremque aſpicientes, vix ſibi perſuaderi ſinunt, iam expiraſſe. Vrget inprimis Prædicans, Ioannes à Porca, vt denuò in equuleo, ſurſum attrahatur; ipſeque cadauer emortui, quòd iam carnifex, à fune ſolutum, depoſuerat in proximo ſtraminis aceruo, pedibus fortiſſimè calcans, & truſitans, num; ſi forſan mentis deliquium pateretur, atque ad ſe redire vellet, experiretur. Suſpenditur iterum, concutitur, agitatur, vt antea: ſed hæret immobilis, & verè mortuus comprobatur.

Infamis Miniſtrorum crudelitas in demortui corpus.

Hîc nouæ turbæ, tumultus noui, ſubſequuntur. Incuſatur, vno omnium ore Miniſtrorum, carnifex, & ſpargitur, quod propinato ei, dum ſanguinem ex ore manantem; abſtergeret, veneno, hominem è medio ſuſtuliſſet. Minantur atrociſſima quæque, immò & extrema ſupplicia intentant, ni veritatem fateatur. Purgat ſe igitur, & Innocentiam ſuam, multis rationibus excuſat, Carnifex, ita vt plerique è iudicibus, ſæculares adſtipularentur, & Carnificem innoxium affirmarēt: nec mirum accidere, quod vir propè octogenarius, obeſo corpore, biduanis tormentis exantlatis in tàm atroci ſupplicio, mortem oppetiiſſet.

Carnificem arguunt Miniſtri, de propinato veneno.

Quid porrò de exuuiis ac funere defuncti Archipresbyteri ſtatuendum eſſet, in ſequentem diem, deliberatio differ-

Admiranda circa corpus defuncti.

differtur. Jllud quàm plurimis mirabile viſum, & prodigio non abſimile, corpus exanime, inſolito quodam fulgore, è tenebroſa, in qua iacebat, ſpelunca radiare, quinimmò, videre complures, ſupra ipſam Carceris domum, ſtupenda quædam lumina, de nocte coruſcare, & quaſdam, veluti fulgentiſſimas columnas, in cœlum erigi, ac deniq; diſparere. Sileo alia complura, ſanè miranda, quibus ſerui ſui ſanctitatem, haud dubiè conteſtari voluit, Opt. Max. Deus; odorem inprimis, cœleſti quadam fragrantia, mirè ſuauem, quem multi, etiam ex Acatholicis, ſe re ipſa ſenſiſſe, odoratuque percepiſſe, grauiter aſſeruerunt.

CAPVT XIV.

Archipresbyter vita functus, extremi ſupplicij reus, ideoq; ſub patibulo ſepeliendus, Miniſtrorum ſententia pronuntiatur.

VT Colophonem, Tyrannidi ſuæ, in Dei ſacerdotem ſuperaddant, ſanguinarij Miniſtri, tertio die rurſus conueniunt, vt de eius condemnatione ad mortem, atque vbi cadauer humandum ſit, ſingulorum vota iudicum, colligantur. Et prima quidem ſuffragia, de more, permittebantur Miniſtris, qui omnes & ſinguli, vnanimi aſſenſu, & ad ſtipulatione contendunt, mortis ſententiam in eum, promulgandã, & corpus, ſub patibulo, ſepultura infami, haud dubiè mulctandum. Veruntamen Miniſtrorum, vnanimi quidem, at nimium crudeli decreto, ſeſe acriter opponunt, nõnulli è ſæcularibus; iudices, à Catholica quidem Religione penitus alieni, in hac tamen ſententia, minimè iniqui: Non decet, inquiunt, hominem à quo nihil ſceleris, in tàm graui tortura,

Defuncti corpus ſub patibulo ſepeliendum, negantibus alijs, Miniſtri decernunt.

propria

propria oris Confeſſione, extortum, nec alia ratione euidenter probatum, vt nulla tergiuerſatione celari poſſit, tam atroci, etiam poſt mortem, pœna ferire, ne rationis, aut Iuris Collimitia, nimium longè tranſiliiſſe, & ex mera inuidia odioq; Religionis, eum contrucidaſſe videamur.

Contra Miniſtri, in ſanis clamoribus, quod iam priuatim ſecum concluſerant, pertinaciſſimo conamine, obtinere moliuntur; quin etiam minis, atq; conuitiis, in quoſdam iactatis, ne ſe vlterius, eorum Tyrannidi opponant, effectum dare, ſatagunt: Rem igitur eò deducunt, vt perterriti, omnes alij, conſileſcant, & eorum inſatiabili, aduerſus Archipresbyterum, odio inflammatiſſimoque liuori, condeſcendant. Hic tu, ô Poëta celeberrime, dictum reuoca, qui aſſeruiſti, inuidiam, exoſi aduerſarij, cum nece, extingui pariter, & conſopiri:

——— Nam lædere viuos — Ouid. lib. 3 de Ponto.
Liuor, & inuiſo carpere dente ſolet.

Et aliud huic ſimile, alibi à te prolatum:

Paſcitur in viuis liuor, poſt fata quieſcit: — Idem lib. 3. Elegiarum.
Tunc ſuus ex merito, quemq; tuetur honos.

Fatere quod res eſt; hallucinatum te eſſe, atq; à ſcopo aberraſſe. Nam apud LutheroCaluinianos Miniſtros, hoc locum non habet; nec enim tot tormentis, tot cruciatibus, lancinati, nec ſanguine innocentis Archipresbyteri effuſo, ſic emolliuntur, vt vel exanimi eius cadaueri, honeſtam permittant, aut faueant ſepulturam.

Dicite obſecro, Miniſtri CaluinoLutherici, dicite, quid quærebatis? quis, veſter ſcopus? quæ intentio? dum Archipresbyterum, iam vita functum, vltimo honeſtioris ſepulturæ, honore, priuatum itis? Lyſander, teſte Plutarcho, culpantibus ipſum, quod multa doloſè, fraudulenterque agendo, Herculis poſteritate, indignum ſe, ac de- — Miniſtrorum intentio ſub infamis latitans ſepultura.

generem

generem oſtenderet, non erubuit dicere: *Vbi Leonina pellis non ſufficit, ei adſuenda eſt Vulpina:* Sic & vos quibus Leonina rabies, ad opprimendam, inculpabilis & integerrimæ vitæ, Sacerdotis, Innocentiam, minimè ſufficiebat, Vulpinum hunc aſtum, furori veſtro, ſubſtruendūm, adinueniſtis, vt ſi lata Iuridice ſententia, ſub patibulo tumulandus, decernatur, ſceleratiſſimus homo, & omnium, quæ illi friuolè ac falsò impoſueratis, obnoxius eſſe crederetur. *Sed vincit omnia veritas: Magna,* inquam, *veritas, & præualet calumnia:* Quinimmò, ſicut aqua, ſcintillam ignis in ſe coniectā, protinus extinguit; Ita falſum crimen, Innocenti viro imputatum, breui exoleſcit. Nam hoc ipſo, quos vos innocentiam optimi ſacerdotis, perpetuo ignominiæ Caumate, cupiebatis inurere, id diuina prouidētia, in perpetuum eius decus, & ornamentum conuertit. ſed quò feror extra oleas, hiſtoriæ Cancellos, tranſiliendo?

3. Eſdra 3.
3. Eſdra 4.
Simile.

Redeo ad inſtitutum. Conſident pro Tribunali, Radamanthæi Iudices, Miniſtri, ſententia fertur in hæc verba: Vt ſcelerati, & bipedum nequiſſimi, Nicolai Ruſca, homicidæ, patriæ proditoris, ac perduellis ciuilium tumultuū, ac ſeditionum auctoris, Magiſtratus contemptoris, qui mille nominibus, extrema queque ſupplicia, commeritus erat, ſi tormentis ſuperſtes adhuc viueret, maledicum cadauer, inſtar nefarij latronis, ſpoliatum, omni cultu ſuo, Trahæ impoſitum, & funibus alligatum, omniq; alio contumeliæ genere affectum, ad furcam & patibulum, peruehatur, ibique inter ſuſpenſos, & crurifragio affectos, infami ſepulchro, nunquam inde auferendum, recondatur. hæc ſententia Miniſtrorum. Aſt ego cum Horatio:

Sententia poſt mortem in Archipresbyterum Martyrem lata.

Dicam ſi potero, male verum examinat, omnis
Corruptus Iudex.

Quales probantur, in corruptiſſimo Tuſienſi Iudicio, extitiſſe

titiſſe Euangelici Prædicantes. Ad executionem ſententiæ progrediamur.

CAPVT XV.

Archipresbyteri ſub patibulo ſepultura, & eadem hora Plurienſis oppidi, ruina montis oppreßio.

DICTVS erat, infami, ſub mala cruce, Archipreſbyteri ſepulturæ, vigeſimus quintus dies Auguſti, ſtylo veteri. Fit ingens populi concurſus, ad ſpectaculum. Extrahitur defuncti corpus, è ſqualido carcere, & vt lata iuſſerat ſententia, Trahæ alligatur, perque totum Tuſienſe oppidum, ignominioſiſſimè, vſq; ad ſupplicij locum, à carnifice raptatur, paratæq; ibidem tumultuarioq; opere malè materiatæ foſſæ, iniicitur, lapidibusq; obrutũ, ac terra deinde opertum, contumulatur. *Sepultura infamis.*

Dici vix poteſt aut explicari, quanta totius populi commotio, quanta compaſſio, quanta comploratio, extiterit omnium, qui Archipresbyterum nouerant, in vita. Hic integerrimam & inculpatiſſimam eius, apud Rhetos, etiam Caluinianos, in omnium publico conſpectu, anteactam vitam, in memoriam reuocabat; hic innocentiam eius, palàm, & ſine metu deprædicabat; alius iudicum ſanguinariorum, inprimis autem Miniſtrorum, ſæuitiem, incuſabat; alius, Diabolicam eorundem inuidiam, diris execrabatur; alius, fore, vt propter innocentis ſacerdotis, cædem, tota Rhetia, flagellis diuinitus immiſſis, caſtigaretur, indubitato præſagio, ominabatur. Vno vèrbo, compaſſio, lachrymæ, querelæ, paſſim vbique perſonabant. Tanta tamen, Miniſtrorum, iudicio ſanguinario præſidentium, erat authoritas tanta poteſtas, vt tum temporis, vti *Populi motus, & pia in Martyrem affectio.*

poſtea, hoc ipſo anno, factitatum, nemo in eos inſurgere, nemo hiſcere auderet.

Ruina montis apud oppidum Plurienſe.

Sed ecce, vindictæ diuinæ prodigia, & iracundiæ, tanti viri cæde grauiſſimè concitatæ, manifeſtiſſima ſigna. Eadem ipſa hora, 25. Auguſti, iuxta Calendarium vetus qua Tuſij, ſub patibulo, Archipresbyteri corpus, terræ mandatur, Plurium, Rhetorum Confœderatorum præcipuum oppidum, vicini montis ruina, cum aliquot millibus incolarum, ædificiis & palatiis pulcherrimis, hortis amœniſſimis, omni etiam ſupellectile, iniectu terræ, & ſaxeorum fragminum cumulo ſic tegitur, ita penitus cooperitur, ac ſi terræ hiatu, inſtar ſocietatis, Core, Dathan & Abiron, in momento abſorberetur. Quid hoc portenti? quid prodigij? Significabat vtique, iratus Deus, ſeruo ſuo Archipresbytero, Martyrij corona, iam in cœleſti patria, inſignito, illatas à Prædicantibus, ſe longè grauius olim, tempore ſuo, vindicaturum iniurias, qui illorum Tyrannidis & perſecutionis, in Catholicos complices, quorum primarij, ad Plurienſis Reipublicę gubernacula ſedebant, fixamque, velut in amœniſſimo, Terreſtris inſtar Paradiſi, loco, ſedem cum ſuis, ibidem habebant, adeò horrendè caſtigaſſet.

Num. 16.

Potuiſſent haud dubiè, perniciem iſtam, quamplurimi ſeditioſorum illorum effugere, ſi vt plerique Catholici, ruſtico homini, è montis vertice, in ſubiectam vallem, celerrimo curſu properanti, & ingentem montis hiatum ſupernè apparere, grauiſſimumque periculum minitare, conſtanter aſſeueranti, credidiſſent, & fuga ſibi, maturiori conſuluiſſent: ſed obdurata & excæcata erant, Corda illorum, non ſecus, atq; Pharaonis & exercitus illius, in mari rubro, iam iam ſubmergendi, vt meritò, illud Scripturæ

Ignoti cuiuſdã Ruſtici monitio fruſtranea ad Plurienſes. Exodi 14.

ſacræ

ſacræ dictum, in eos conueniat, & aptiſſimè quadret: *Confeſtim igitur, vt ceſſauit loqui, diſrupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum, deuorauit illos, cum tabernaculis ſuis, & vniuerſa ſubſtantia eorum: Deſcenderuntq́; viui in infernum, operti humo, & perierunt, de medio terræ.* Num. 16.

Nec inficias eo, quod res eſt, perpaucos aliquot Catholicos, eodem ſupplicio, inuolutos, periiſſe: Verum hic, nolim ego, occulta Dei iudicia, præſumptuoſius excutiendo, nimis altum ſapere, & ſerutando diuinæ Maieſtatis arcana, opprimi ab eius gloria infinita: Credibile eſt, pleroſque per temporalem illam, & paternam caſtigationem, æternas gehennalium pœnas Incendiorum, euaſiſſe. Illud ſanè miraculo eſt affine, quinimmò, ſingulari prouidentiæ Dei adſcribendum, præcipuos, orthodoxæ Religioni addictorum, in variis orbis partibus, varia negotia tractantes, periculum illud, interea euaſiſſe. *Pauci Catholici interierunt.*

CAPVT XVI.

Admiranda alia ſepulturam conſecuta.

QVANTO crudeles Miniſtri, bonum odorem virtutum, & Innocentiæ Martyris Chriſti Nicolai, ſuorum fœtore mendaciorum, fortius exufflare, & inficere nitebantur; tantò feruentius, diuina bonitas, pro ſerui ſui honore, dimicabat, qua de cauſſa, mira & prodigioſa circa corpus, & ſepulturam eius, comparuiſſe memorantur. Quidam, eo in carceris loco, ſqualenti admodum, & fœtenti, vbi exanimati cadauer, proiectum iacuerat, vſq; ad ſepulturam, diebus aliquot, ſuauiſſimum, & planè diuini aliquid ſpirantem, remanſiſſe odorem, & à ſe perceptum, aſſeuerabāt: Quidam ſupra tumulum eius, nocturnis horis, clariſſima quædam lumina, ſe *Odoris mirifici fragrantia.* *Lumina ſupra ſepulchrum.*

conſpexiſſe,perhibebant,quę fatuos ignes,ob vnctuoſita-
tem corporum, ibidem putrefactorum, extitiſſe, Miniſtri
interpretabantur, Ipſi interim,ſtolidam fatuitatem ſuam,
toti mundo exibilandā, propinantes,qui nō noſſent, inter
Sanitas è veſti- ſplendidiſſima lumina,& terreſtres quaſdā, & ſubobſcuro
um contactu. igne accenſas, exhalationes, diſcernere. Alius contactu
veſtium eius, ab immani Pleuritide & Iſchiadicis dolori-
bus,ſeſe liberatum,gloriabatur; Alij eodem medio, puer-
peras, in partus difficultatibus, extremè periclitantes, vt
fœtum,qui iampridem mortuus credebatur, Matres illæ-
ſæ, viuum & ſanum, in huius lucis vſuram producerent,
adiutas, memorabant. Alius,cum morti vicinus eſſet, in
mentis exceſſu admonitus, vt aliquid, lipſanorum eius,
expeteret,allato, deoſculatoq; eius collari, quod geſtaue-
rat in vita, morbum illicò depulſum, & integram ſanita-
tem reſtitutam,perſenſit. Alij, multò adhuc illuſtriora,
hui' generis beneficia, ſibi obtigiſſe,Martyris apud Deum
interuentu,conteſtabantur.

Nobis ea non placet,hic ad longum percenſendo,de-
ſcribere,donec publicis atteſtationibus roborata, & in ta-
bulas veritatis, omni exceptione maiores, redacta, euul-
Pſalm.67. gentur. Neque enim credibile eſt, Deum, *qui mirabilis eſt in
ſanctis ſuis*, cum corpus Martyris, ab infami patibuli loco,
ad ſacrum aliquem,ſibi deſtinandum, breui transferetur,
eiuſmodi decora & ornamenta ſubtracturum, qui-
bus alioqui,ſeruorum ſuorum,in cœlo me-
rita,paſſim alibi,ſolitus eſt
declarare.

CAPVT

CAPVT XVII.

Congeries calumniarum, quibus Miniſtri Iudices ſanguinarij, Archipresbyterum Martyrēm in Apologia, mendaciter aſperſerunt.

ORDO iam vocat, vt crimina illa, & atrociſſima ſcelera, quæ Miniſtri Prædicantes, Archipreſtero Martyri, è ſola inuidia, nequiſſimè impoſuerant, breuiter diluamus. Verum, vt ordine & ſuccinctè, id à nobis præſtetur, ipſamet Apologiæ verba, à Ioanne Porta, Prædicante Ciceriensi, Primario, inter Miniſtros ſymmiſtas, carnifice, conſcriptæ, Germanica verba, hûc apponemus, & latinè reddita, lydioq; lapidi affricando, atq; ad Critolai libellam trutinando, quam veritati ſint conſentanea, probabimus: ea ſic habent.

Criminal Proceß/ wider Nicolaus Ruſca/ Ertzprieſter zu Sonders.

In Apologia fol. 15 pag. 1. §. 1.

HJetzwiſchen den 22. Auguſti/ iſt anklagt worden Nicolaus Ruſca von Lugan/ geweßner Ertzprieſter zu Sonders im Veltlin/ welcher zuuor von dem Volck in haffe genommen war. dann er mit Jan Paul Quadrio von Pant/ vnd Vincentz Ratto von Chur gehandlet/ daß ſie auff dem Maylander Gebiet/ Mittel gefunden/ den Herrn Scipian Calendrinen/ geweſen Predicanten zu Sonders/ vmbzubringen/ oder jhne lebendig auß dem Landt/ nach Meyland oder Rom/ wie zuuor andern mehr geſchehen/ zuführen: wie klärlich inn vnd auſſert der Marter bekennt hat/ Michel Chappin von Pant/ daß nit nur/ als er/ geſagter Chappin/

gemelten Anſchlag wöllen in daß Werck richtē/ ſeine Mithafften jhn vergewiſſert/ daß der Ertzprieſter ſolches procurire/ vnd halte die Spähen: ſonder er habe jhme/ Tſchappinen/ auch ein Zedel geſchriben/ vnd durch einn Knaben zugeſchickt/ wann vnnd wohin/ er mit ſeiner Geſellſchafft kommen ſolle/ vñ wie diſer Anſchlag möge vollführt werden. Darauff der Tſchappin/ als er deßhalben im 1608. Jar/ im September/ vnnd er Herrn Landtshauptmann Jan Korn von Caſtelmur gefengklich eingezogen/ iſt gerechtfertigt vnnd geſtorben: wie ſeine Proceſſen vnd Vergicht/ vnder gedachtes Herrn Landtshaubtmans Sigel ſchrifftlichen noch verhandē. Zu diſem Werck hat Tſchappin Schifleut beſtelt/ Andres Serem/ von Cham/ Johannes Piſter von Trahana/ vnnd Baptiſta Dominici von Menaas/ welche im Hówmonat deß 1594. Jars/ jhren verdienten Lohn/ empfangen. Dañ als ſie an dem Geſtad deß Fluſſes Ada erfunden worden/ zwiſchen Sanders vnd dem Fläcklin Caiòl, dahin ſich gedachter Herrn Calandrin verfügen ſollen/ vñ ſie jhne erhaſchen/ vnd zu jhnen in das Schiff reiſen ſolten: ſeind ſie vor verrichter That/ von Herren Landtshauptmann Hartmanno de Hartmannis ergriffen/ vnd nach erfarnen jhrem Mörderiſchen Anſchlag/ von Leben zum Todt hingerichtet worden.

§. 2. Es hat ſich demnach diſer Ruſca der hohen vnd nachgeſetzten Obrigkeit/ gemeiner dreyer Pundten rebelliſch vnd vngehorſam erzeiget/ in dem er jhre Abſcheiden vnnd Decreten offt vnd dick vnderſtanden/ auffzuhaben/ vnnd krafftloß zumachen.

§. 3. Wann er in der Canonica zu Sonders ſeine Verſamlungen gehalten/ hat man den Nechſten von den Vnderthanen auff den Gaſſen rebelliſche Wort gehört vnnd vernommen/ wie ſolches vil ehrliche Leuth/ vnd die That ſelbſt/ in vil weg bezeuget: wie dann auch Nicolao Carbonera

nera ohn vnd mit Marter es ferner befeſtiget/mit weiterer vermeldung/ wie er den Rhat gegeben/ etliche Decreta ſeines Fürſten nichtig zumachen / durch Mittel der Frantzöſiſchen Ambaſſadoren: bey welchen der Signor Iulio della Turre, ſolches als jhr gehaimiſter Freund wol erhalten vñ außbringen könne: hat hiemit auch zu Caiol daß Euangelium zu predigen verhindert.

Das gemeine Volck hat er jhme dermaſſen anhengig gemachet/ daß nit nur die Ambtleut im Veltlin / auß ſorg groſſer Auffrühren vnd Rebellion / jhne von wegen ſeiner Mißhandlungen zu erſuchen nit vnderſtehn dörffen/ oder wöllen. §. 4.

Sondern hat auch zu der Zeit da der Baw/ der Veſte Fuentes angefangen worden / ſich gen Morden vnder das Volck verfügt/vnd laut Kundtſchafften / vnnd folgenden Vergichten in der Beicht/ vñ ſonſt in Geheim/das Volck abgemanet/ wider einen ſo Catholiſchen Fürſten/ den König auß Hiſpanien/nicht zu kriegen/ſo ſie jhr Gewiſſen vnuerletzt behalten/ vnnd die Abſolution von Sünden von jhme erlangen wolten: damit er ſich gemeiner dreyen Pünten Proueditorn widerſetzt/ welcher diſe Verachtung vnd Meuterey / vmb einmal mit Gedult auffnemen müſſen. Vnd wiewol er ſich entſchloſſen/ jhne deßhalben für Rähten vnd Gemeinde zuuerklagen / dannoch hat ers anſtehn laſſen müſſen / biß auff den 4. Aug. deß 1608. Jars: zu welcher Zeit er für die Gemeinden citirt worden / vnd darauff von gemeinen dreyen Pündten / ein Gericht von beyden Religionen den 4. Nouembr. 1608. beſtelt: aber deſſen alles vngeachtet / iſt er niemahlen erſchienen : hat auch durch ſeine Vnderhendler ſehr groſſe Corruptionen getriben: wie zuſehen/ zum theil auß den Brieffen / an einen ſeiner Freunden geſchriben/ den 22. 23. 24. Decembr. deß 1608. §. 5.

Jars:

Jars: allermeiſt aber auß ehrnleuten Zeugen ſag/ darumb dann die/ ſo ſich corrumpiern laſſen/ auch jhren verdienten Lohn/ doch mit Gnaden/ empfangen.

§. 6. Zu deme hat er ſein Correſpondentz vñ Gemeinſchafft vilfaltig mit frembden Fürſten/ Ambtleuten vnd Gewalthabern/ vnd mit vnſern vntrewen Landkindern allermeiſte Freundſchafft gehalten/ vnd jhnen zu jhrem Fürhaben Hülff vnd Raht gegeben/ wie auß hinder jhme vnd andern gefundenen Brieffen zuſehen.

§. 7. Ja zur Zeit der letſten Abſagung deß Paſſes vnd feiln Kauffs/ von Meylandt hat er ſich zum andermahl dahin verfügt/ vnd ſich höchlich verdächtig gemacht.

§. 8. Als nun Richter vnnd Gericht diſe Klag angehört/ ſich in den Proceſſen vnd Authentiſchen Conſtituten fleiſſig erſehen/ obgeſagte Brieff/ wie auch die/ ſo von einem Prieſter Paulo von Sulmona den 6. Novembr. 1608 von Herrn Philippo Biſchoffen zu Chur den 15. Martij 1610. vnd von fratre Franciſco Prouinciali in Meyland den 12. Jan. 1611. datirt/ ſambt vilen andern an jhne Ertzprieſter geſchriben/ abgeleſen/ ehrlicher Leuthen Kundſchafft angehört: haben ſich diſe vnd andere Klagpuncten wahr ſein lauter vnd klar erfunden.

§. 9. Deme allen hat er doch ſtracks widerſprochẽ/ die Vergichten der gepeinigten vnnd darauff hingerichten gelawgnet/ die auffgelegten Brieff vnnd Kundſchafften ſchimpflich eludiern wöllen/ vnd zwar wol mit Schimpffreden ſie zuverantworten ſich vnderſtanden/ aber doch begert/ man ſolle jhne ohne weiter Procedirn entweders ewig bandiern/ oder auff die Galeen condemniern: ſo iſt er mit Recht vnd Vrtheil an die Warheit erkennt worden. Als er nun deß erſten Tags drey mal ohne Stein auffgezogen worden: hat er doch nichts bekeñen wöllen. Deß andern Tags

als

als er wider gebunden / vnnd zum andern mal / aber ohne Stein / auffgezogen / hat er ſich gantz krafftloß erzeigt: iſt angentz herab gelaſſen / vnd ſeiner Banden globiget worden / vnd hat bald darnach ſein Leben geendet / nicht ohne groſſen Argwon / das diſes durch die Mittel eines ſcharpffen Giffts geſchehen: wie die Zeichē ſeines Leichnams mitgebracht haben. Darauff hin iſt ferrner mit Recht erkennt / daß ſein Leichnam ſolt durch den Scharpffrichter zur gewonlichen Richtſtatt geführt / vnnd allda begraben werden.

Es iſt mit vermeßner Vnwarheit durch etliche Schmachreden fürgebracht worden / man hab jhne Ruſcam / auß Haß der Religion / in der Gefengknuß biß auff den Todt barbariſcher weiß gemartert / Welchen zu wider ehrliche Leut beyder Religionen / ſo dabey geweſen / gnugſame Zeugnuß geben / daß er beyder Tagen in allen nit vber ein Stund / vnd darzu leuiſſima tortura, am Seil gehanget: iſt aber / wie vermeldt / durch andere Mittel verlötzlich hingerichtet worden. Latinè verſa, ſic ſonant. §. 10.

Interea 22. Auguſti accuſatus fuit Nicolaus Ruſca, de Lucan, Archipresbyter Sondrienſis, in Veldlino, qui antea à populo captus, & in vincula fuerat coniectus. Ipſe enim, cum Ioan. Paul. Quadrio de Pont. & Vincentio Gatto, Curienſi, egerat, vt in Territorio Mediolanenſi media inuenerint, Dominum Scipionem Calandrinum, olim Prædicantem Sondrienſem, interficiendi, vel viuum è Griſonica terra, Mediolanum vel Romam, ſicut aliis ante ipſum, compluribus contigerat, perducendi: id quòd clarè, inter, & extra tormenta, confeſſus eſt, Michaël Tſchappinus de Pont. quod non ſolummodo, cum præfatus Tſchappinus, iam dictum homicidium opere voluerit complere, ipſius complices, eum certificarint, Archipresbyterum hoc procurare, atq; ad hoc, vnicum intentum eſſe, ſed & ipſummet, Tſchappino, ſchedulam ſcripſiſſe, & per puerum tranſmiſiſſe, quando & quo, cum ſocietate §. 1. Conſilium Homicidij perpetrandi.

 cietate

cietate ſua, venire deberet, & quomodo conſiliũ iſtud, executioni mandari poſſet. Adhæc Tſchappinus, cum propterea 1608. Menſe Septembri, ſub Capitaneo Prouinciali Ian. Korn de Caſtelmur, comprehenſus & in captiuitatem adductus, extremo ſupplicio affectus eſt, vt eius proceſſus, & articuli confeſſi, ſub ſigillo præfati Capitanei, adhuc ſunt præmanibus. Ad hoc opus, Tſchappinus nautas conſtituit, Andream Serem, de Chomo, Ioannem Piffer de Trabona, & Baptiſtam Dominici de Menâas, qui in Iulio, Anni 1594. promeritam mercedem acceperunt; Nam cùm ad ripam Fluuij Ada, reperti eſſent, inter Sondrium, & Vicum Caiol, quo ſupradictus Dominus Calandrinus, ſe conferre debebat, & ipſi eum apprehendere, atque in nauem violenter trahere, iuſſi erant, ante perfectum hoc opus, à Domino Prouinciali Capitaneo, Hartmanno de Hartmannis, capti, & expertis, atq; exploratis, eorum proditoriis Conſiliis, extremo ſupplicio, è medio ſunt ſublati.

§. 2. *Inobedientia erga Magiſtratum.*

Deinde Ruſca iſte, tàm ſupremo, quàm ſubdelegato Magiſtratui, trium Communitatum, Confœderatorum, rebellem & inobedientem, ſeſe exhibuit, in hoc; Nam illorum decreta & iuſſa, perſæpè conatus eſt caſſare.

§. 3. *Cauſſa murmurationis populi contra Prædicantes.*

Quando in Canonica Sondrienſi, ſuas Congregationes celebrauit, illicò poſteà, â ſubditis, in plateis, rebellia verba, audita fuêre, quod multi honeſti homines, & res ipſa, in multis viis teſtabatur: Sicut etiam Nicolaus Carbonera, intra & extra tormenta, hoc quoque affirmauit, cum vlteriori mentione, quod Conſilium dederit, decreta quædam, Principis ſüi, irritandi, mediante Gallico legato, apud quem, Dominus Iulius de Turre, tanquam intimus eius amicus, facile id obtinere poſſet. Et ſic, hoc medio, Caioli etiam, Euangelicam Prædicationem, impediuit.

§. 4. *Amor & obſeruantia populi, qua Archipreſbyterum complectebantur.*

Communem plebem, eum in modum ad ſe attraxit, vt non ſolùm officiales in Veldlino ſeditionem & rebellionem timentes; eum propter maleficia prædicta, monere, non fuerint auſi:

Sed & eodem tempore, cum ædificium Arcis Fuentes, inchoaretur,

tur, Morbennam ad populum ſe contulit, & vt ſonant explorationes, & ſequentes affirmationes, in Confeſſione, & aliàs in occulto, populum dehortatus eſt, contra adeò Catholicum Principem, Hiſpaniæ Regem, ne militarent, ſi conſcientiam ſuam illæſam ſeruare, & Abſolutionem à peccatis, ab ipſo, impetrare vellent, vt ſe trium confœderatorum communitatum prouiſori opponeret, qui hunc contemptum, & ſeditioſam concitationem populi, patienter ferre coactus eſt. Et tametſi conſtituiſſet, coràm conſiliariis communitatum, eum accuſare, omittere tamen coactus fuit, vſq; ad quartam Auguſti, Anni 1608. quo tempore, à communitatibus citatus fuit, & ſtatim à tribus confœderatorum communitatibus, iudicium, ex vtriuſque Religionis, hominibus 4. Nouembris 1608. conſtitutum fuit: ſed his omnibus non attentis, nunquam comparuit: Et per ſuos complices, admodum multas corruptiones practicauit, vt videre eſt, partim ex literis eius, ad quendam ſuum amicum ſcriptis 22. 23. 24. Decembris, Anni 1608. inprimis verò, ex honeſtorum hominum teſtimonio: ideoq; illi, qui ſe ab illo corrumpi ſunt paſſi, pro meritam etiam mercedem ſuam, cum gratia tamen, acceperunt. §. 5 **Populi dehortatio ne iuram cum Rege Hiſpaniæ fœdera violaret.**

Ad hoc correſpondentiam, & familiaritatem multiplicem, cum externorum Principum officialibus, & mandatariis habuit, & cum noſtris perfidis patriotis, omnium præcipuè, amicitiam ſeruauit, illiſq; ad intenta ſua, Conſilium & auxilium ſubminiſtrauit, ſicuti ex literis, apud ipſum, & alios, repertis, videre eſt. §. 6. **Correſpondentia cum alterũ Principum legalis.**

Immò tempore vltimæ denegationis, tranſitus, & mercaturæ ex Mediolano, ſecunda vice eò ſe contulit, & ſummè ſuſpectum ſe nobis reddidit. §. 7. **Iter geminum Mediolanum inſtitutum.**

Cum itaq; Iudices & Iudicium, hanc accuſationem audiuiſſent, & proceſſus, & authentica conſtituta, diligenter inſpexiſſent, præfatas literas, ſicut & alias, quæ à ſacerdote quodam, Paulo de Sulmona 6. Nouembris 1608. à Domino Philippo Epiſcopo Cumenſi 15. Martij 1610. & à F. Franciſco, Prouinciali Mediolanenſi, 11. Ianuarij, 1611. datas, vnà cum multis aliis, ad ipſum Archipresbyterum ſcriptis legiſſent, §. 8. **Literæ proditoria.**

giſſent, honeſtorum hominum teſtimonia luſtraſſent, hæc & alia accuſationis puncta, vera eſſe, clarè inuenerunt.

§. 9. *Negatio prædictorum.* *His tamen omnibus, è diametro contradixit, Confeſſiones eorum, qui torti, & poſtea ſupplicio affecti fuerant, negauit, propoſitas literas, & teſtimonia, iocosè eludere voluit, & quidem riſibilibus dicteriis, refutare conatus eſt; nihilominus tamen petiit, ſine vlteriori proceſſu, vel in perpetuum exilium, relegari, vel ad triremes condemnari, lata iuſta ſententia, ad torturam eſt deſtinatus. Cumq; iam primo die, ter, ſine lapidibus, attractus, & extenſus fuiſſet, nihil tamen fateri voluit. Sequenti die, cum iterum ligatus, atque iterum, ſine lapidibus extenſus fuiſſet, omninò debilem ſe oſtendit, ac poſtea demiſſus, atq; à vinculis liberatus, mox vitam finiuit, non ſine magna ſuſpicione, mediante acutiſſimo Veneno, hoc factum eſſe, quod ſigna Cadaueris eius, inſinuarunt. Tandem de Iure, ſententia lata eſt, vt eius Cadauer, per Carnificem, ad locum ſupplicij vectatum, ibidem ſepeliretur.*

§. 10. *Mendacium de propinato Veneno.* *Præſumptuoſa falſitate, per Calumnias quaſdam, ſparſum eſt, hunc Ruſcam religionis odio, in Carceribus, vſq; ad mortem, Barbarica crudelitate, excarnificatũ; contra quod honeſti homines, vtriuſq; Religionis, qui præſentes fuerunt, ſufficiens teſtimonium dant, eum vtroq; die, non vltra horam, & inſuper, leuiſſima tortura, in fune pependiſſe: ſed ſicut diximus, aliis mediis, de repentè interfectus eſt.*

Hæc ad verbum ex Apologia. Hæc Crimina, hæc Flagitia, de quibus Miniſtri, Innocentiſſimum Archipresbyterum, mendaciſſimè diffamarunt; vt porrò ipſiſſima veritas, omnium oculis pateſcat, ſingula breuiter excutiemus.

CAPVT

CAPVT XVIII.

Homicidij, Archipresbytero à Miniſtris, falſò nequiterq́; impacti, crimen delimatur.

QVos nã hîc Rhombos Prædicanticos? quç Philtra Euangelica? quæ mendacia? quas Calumnias? quæ deliriorum Crepundia, inerti vulgo obtruditis, vt Lycantropiam veſtram Euangelicã, & Lupinam rabiem, ouina pelle, conueſtitam obtegatis? quid? annon frontiſpicio ſtatim præpingue mendaciũ affigitis? *Populo, Archipresbyteri captiuitatem, adſcribitis?* Cur populo? annon vos ipſi, vna cum Sondrienſis Capitanei, Boulij illius veſtri, belliſſimi ſanè homuli, lictoribus atque Cerdonibus, media nocte, in domum eius, inſtar latronum irrupiſtis, & è lecto, violenter extractũ, in carceres & vincula abripuiſtis? Collige qui ſapis, O defæcati ac ſolidi iudicij homo, de reliqua accuſatione quid ſentiendum, cui apertum mendacium ſubſtruitur, pro fundamento.

Mendacium apertum fundamentum totius accuſationis.

Egit, inquiunt, *cum Ioanne Paulo Quadrio de Pont. & Vincentio Gatto Curienſi, vt Dominus Scipio Calandrinus, Prædicans olim Sondrienſis, vel occideretur, vel captiuus Romam, aut Mediolanum abduceretur.* Quibus nam id probatis Argumentis? Primum eſt: Tſchappinus Anno 1608. Menſe Septembri, ob hoc ipſum homicidium, ſub Prouinciali Capitaneo Ioan. Korn de Caſtelmur, captus & ſupplicio affectus eſt. Hic intra & extra torturam, faſſus eſt, ex conſilio Archipresbyteri, homicidium illud, à ſe perpetratum. O ineliquidata, indiſcuſſa, & malè tornata mendacia. O nequiſſimos flagriones: Michaëlis Tſchappini, ſupplicium Capitanei quidem literis, & ſigillo aſſeritur, nulla tamen vel eius cauſſa, vel homicidij culpa, Archipresbytero irrogatur. Cur ergo Pſeudologiis hiſce, fœdiſſimis, Innocentiſſimi viri, famam

§ 1. Apologia. Homicidij probatio.

1. Argumẽtum homicidij perpetrati.

aſpergitis? Veſtram ſanè mentiendi libidinem, hiſce medüs, non ſolum non elutulatis, ſed & magis magiſque collutulatis, dum licentiæ fibulam, mendaciis atque calumniis veſtris, nimium obſequioſè laxaſtis.

Briectio ficta ſchedula.

Obganniunt: *Archipresbyter ſchedulam ſcripſit Tſchappino, & per puerum tranſmiſit, eumq́, inſtruxit, quo pacto homicidium eſſet perpetrandum.* O turpiſſimam Pſeudopœiam, ô male conceptum, & abortiuum mendacium. Dic ſodes, mi Cornicator Euangelice, qui Apologiam texuiſti, vbinam hæc ſchedula? an Tſcahppinus eã exhibuit? an tu & ſymmiſtæ tui, pro Tribunali ſedentes, eam vidiſtis? legiſtis? audiiſtis? vel potius ſomniaſtis? nec fuit vnquam, in rerum natura, multò minus cogitatum, aut ſcriptum, tale Conſilium, ab Archipresbytero; nec vos vnquam, de ſchedula, quam fuco veſtro obtenditis, eum conuincere potuiſtis, tametſi horrendiſſimis tormentorum generibus, vbique dum ſpiritum exhalaret, extorquere tentaſſetis; quid ergò Rumigeruli, Cęruleum velum, per Dioptram viridem, nobis viridè oſtenſum itis: cur fruſtra, mendaciorum fumis, veritatis luci, tenebras offunditis; O homines, exorbendi ſanguinis Catholici, cupidiſſimos, ac proinde pigmenta & ſtibia, Falſitatum quarumcunq;, excogitantes. vt ſanguinolentam, & ſitibundam cupiditatem illam, expleatis, Ideò tot ambagioſis anfractibus, & ſinuoſis verborum inuolucris, Calumniam veſtram obuoluitis, vt rudioris genij, atque ingenij hominibus, eò facilius inſtilletis, & inſtillatam, tantò firmius imprimatis.

2. Argumẽtum Homicidij perpetrati.

Alterum argumentum, è fœdo calumniarum coagulo compacto, mendacio, totius accuſationis corpus, naturificat, figulat, animat, fœdiſſimaq́; larua deturpat: *Ad hoc opus*, inquiunt, *Tſchappinus Nautas conduxit, qui Calandrinum Prædicantem, ad ripam Fluminis Ada, propè Sondrium & Caiolum, capere*

capere debebant. Et hi ante perpetratum factum à Capitaneo Hartmanno de Hartmannis comprehenſi, Anno 1594. extremo ſupplicio, tentatum facinus luerunt. O impudentes, immò & putentes nebulas: Eſto, ſit ita, ô boni iudices, vt aſſeritis: q d obſecro inde concluditis? quid Archipresbytero cum Nautis? & quid Nautis cum illo? an vllam vnquam mentionem eius fecerunt? An tentati ſceleris culpam ei adſcripſerũt, quod rei caput? Id nec vos in Apologia veſtra, affirmare auſi eſtis, nec ſi affirmetis, vllo vnquam veraci teſtimonio, probatum dare poſſetis. Quis ergo Aoraſiam veſtram, ô Onecephali Pſeudopegi, Diabolica planè mentiendi libidine percuſſi, non exibilet, non explodat, dum ſic inſulsè argumentamini:

Tres Nautæ ante annos propemodum 25 in Menſe Iulio, volentes Calandrinum Prædicantem abducer, ecapti & à Capitaneo occiſi ſunt: & vt rem ipſam vti contigit ediſſeram: Calandrinus Miniſter, Cacodæmone fideliſſimũ Agonothetam ſuum, & Archiceleuſten Euangelij Caluino Zuingliani, condigno Mineruali, præmiante, in aquis ſubmerſus, Neptuno Propitiatori ſuo, Optimo Maximo, infelicem ſpiritum conſignauit:

Ineptiſſima Miniſtrorum argumentatio.

Ergo Archipresbyter eſt reus homicidij:
Ergo in vincula coniiciendus:
Ergò ſæuiſſimè torquendus:
Ergo in tormentis enectus ſub patibulo eſt ſepeliendus.

O Abderiticas mentes, ô Infeſtiua & Illepida, ô omni piſtillo retuſiora ingenia, ſi abſurditatem lœdoriarum veſtrarum, non intelligitis, non capitis, non erubeſcitis, turpiſſimumque vomitúm, non relambitis, non reuocatis.

Mendacem, mõnet quidam, memorem eſſe mendacij oportere, ne vnum alteri laruam detrahat, & agnitæ veritati, ſtipulata quodammodò manu, ſuffragetur: nam, ſi

Mendacij Prædicantici abſurditas.

hoc

hoc illi, velut æs luto cohæreat, totius machinæ futilitas, vel à rudiuſculi ingenij homine illicò deprehenditur, & falſitas vanitati, furtiuo concubitu iuncta, Mendacium generans, nullo negotio profligatur: Si enim pluſquam ante annos 24. Anno nimirum 1594. iam capti, iam tormentis examinati, & crimen iam faſſi erant, nō ſolùm tres Nautæ, ſed & ipſemet Tſchappinus, Anno 1608. tormentis eodem modo exagitatus, Archipresbytero culpam impegit: Cur non ante 24. annos? Cur non ante 11. annos? Archipresbyter, ideo in Ius vocatus eſt? Cur quæſtioni non ſubiectus eſt? Cur fidiculis non tentatus eſt? Cur non vt homicida, ſupplicio affectus eſt? O lupe, lupe inquam rapaciſſime, quis te auribus hic non apprehendat? non teneat? nulla vnquam tanti criminis, in Archipresbytero, reſidebat ſuſpicio; innocens erat, ab omni ſanguinis labe, vir manſuetiſſimus, qui nec infantulum, immò nec muſcam, vt aiunt, vnquam offenderat; vos hoc ſcelus in eum, nequiter & mendaciter, ac recenter, in iudicio veſtro, excogitaſtis; & effinxiſtis ideo, vt tanto mendacio cauſſam aliquam veriſimilitatis obtineretis, à longinquo, 24. annorum ſpacio, mentiri oportebat, ne vorticoſa & labyrinthea falſiloquia, turpiſſima nuditate, in publicum prodirent.

Fructus Luthero Caluiniani Euangelij mēdacia.

Sed ignoſcendum eſt Miniſtris, & condonandum aliquid, hac in parte; nam LutheroCaluinianū Euangelium, non fert alios fructus; Et ſicut Circulatores Agyrtæ, variis ligaminibus, globulis, ſcyphulis, numulis Calculatoriis, aliisque faſcinis, homines dementant, ſic Miniſtri Prædicantes variis mēdaciis, falſitatibus, conuitiis, calumniis & pſeudologiis, eorum ſimplicitati qui fidem habent, multipliciter illudunt.

CAPVT

CAPVT XIX.

Alia criminatio Archipresbytero imtapoſi; diſcutitur, eliditur, ſuffocatur.

PERGVNT, veritatis Depeculatores Euangelici, Archipresbytero Innocentiam ſuam deprædari; vanitatum itaque miſſilia, atq; conuitiorum iacula, omni neruorum contentione, in caput ipſius euibrant; *Ruſca iſte,* inquiunt, *tàm ſupremo, quam delegato Magiſtratui, trium Communitatum, Confœderatorum Griſonum, rebellem & inobedientem, ſeſe oſtendit, in eo, cum ipſorum iuſſa & decreta, ſæpe ſæpius, conatus eſt irritare, & eneruare.* §. 2. *Apologia.*

Ergò capiendus:

Ergò incarcerandus:

Ergò torquendus:

Ergò in tortura mactandus:

Ergò ſub patibulo ſepeliendus erat.

Hic Rhodus, hic ſaltus; hic Achilles ille, qui Archipreſbytero, de Iure Prędicantico, vitam eripit; hic Aceſias Medicum agit. O illiquidi & inſpiſſati cerebri homines: an non hic propria vineta cęditis? Pepo ſit non homo, qui hoc non videat, non animaduertat. Sed nolo diu vobiſcum λογομαχεῖν, ô zelotuli LutheroCaluiniani locutulei. Vno altero uè, ſacræ Scripturę, exemplo vos confundam: Tres pueri Nabuchodonoſoris Babyloniæ Regis, auream ſtatuam adorare nolentes, regia mandata peſſum dederunt, & inobedientia ſua caſſarunt, in faciem Regis exprobrantes: *1. Exemplum, Daniel 3.* *Non oportet nos, de hoc reſpondere tibi: Ecce enim Deus noſter, quem colimus, poteſt nos eripere, de Camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex liberare. Quod ſi noluerit, notum ſit tibi Rex, quia Deos tuos non colimus, & ſtatuam auream, quam erexiſti, non adoramus.* Quid tibi videtur, ô Apologiſta Prædicans? nunquid ponderis aliquid, habebit hæc illatio tua?

Ergò Sidrach, Miſach & Abdenago, iuſtè in
Fornacem mittuntor & comburuntor.

II. Exemplum. Prædicabant Apoſtoli Chriſtum audacter, & imperterritè, prohibentibus licet, & ſub capitis pœna, interdicentibus Magiſtratibus, & Sacerdotibus Iudæorum: ſed
Acto. 4. quid Petrus & Ioannes? *Si iuſtum eſt*, inquiunt, *in conſpectu Dei, vos potius audire, quàm Deum, iudicate: Non enim poſſumus, quæ vidimus & audiuimus non loqui.* Ecce tibi Apoſtolos refractarios, Scribis, Phariſæis, ac principibus Iudæorum: Nunquid inferes,

Ergo de Iure, in vincula coniecti, virgis cæſi, è ſynagogis eliminati, & approbantibus Iudæis, Iacobus, gladio ab Herode interemptus?

III. Exemplū. Similiter Petrus & Paulus, Neronis iuſſa contempſerunt, mille alij Martyres, tyrannorum mandata, tranſgreſſi ſunt, & ea caſſa atq; irrita reddiderunt.

Ergò variis ſuppliciis, iuſtiſſimè mactati, atque contrucidati fuere.

IV. Exemplū. Canis, ad ouile Heri ſui, cuſtodiendum deputatus, irruentes lupos, inceſſanter, cordatiſſimeque allatrat: nunquid bona hæc pro vobis, ô Fidicines, verbi LutheroCaluiniani, conſequentia.

Ergò ad inſtantiam Luporum Canis excorietur, decorticatus, in mille partes lanietur, & lupis in prædam obiiciatur?

O Pompholices, ô Bullas Prædicanticas, vel exiguo conniſu, minimoque halitulo difflabiles. Veri Catholicique Prædicatoris, & animarum Paſtoris officium, Archipresbyter, nunquam non præſtitit, iniquiſſimis quorundam Caluinianorum, & contra patriæ, immò & Religionis libertatem, pugnantibus, & veſtris etiam, ô Viliſſimi Tabernarij, auſis, & moliminibus, ſeſe oppoſuit, Dei honorem

norem ſtrenuiſſimè propugnauit, ouium ſibi diuinitus concreditarum ſalutem, cordi duxit, & eas in Catholica Religione, vobis, frendentibus licet, & frementibus, & Erynnali furore, amentiaq; crepantibus, efficaciſſimè conſeruauit: Ideonè promeritus eſt, vt à vobis, in vincula & compedes, impactus, adeò immaniter torqueatur, & in ipſiſmet biduanis tormentis, extinguatur? quænam hæc iuſtitia veſtra? Quodnam Euangelium, cuius colore, tantum ſcelus obduci, & pigmentari valeat, ne turpitudo eius publicè confundatur, & omnium diris atque execrationibus, deuoueatur? *Pudibunda Confuſio Apologiſta.*

Eia age, ô Germanum, ô Candidum pectus, hîc tecum habita, hîc penſita, quanam regula, qua Cynoſura, LutheroCaluiniani Panurgi, vtantur, ad effundendum, atque exorbēdum Catholicorum ſanguinem, & ex Vngue Leonem, è fructu arborem cognoſce. Fuge fuge, fugita, vita & deſere, Pſeudoeuangelium, quod à Lycanthropis hiſce declamitatur; Deſere inquam, & reſipiſce, quàm tibi cordi eſt, æternæ ſalutis diſcrimen, euitare.

CAPVT XX.

Infamis iterum lædoria, à ludionibus Caluino Lutheranis, Nicolao irrogata, delimatur.

NOVA hîc rurſum, Euangelici Agyrtæ, edunt ſpectacula, & artem factitant ſuam, dum ſcrinia mendaciorum, & ſacciperia calumniarum, peramplè reſerata, publicè venum exponunt, & loculos omnes, ad fundum exhauſtos, laxiſſimaq; inanitate vacuos, in paxillo veritatis Prædicanticæ, ſuſpendunt. O bella, ô Attica, ſiculiſque gerris, affabrè condita, Crepundia.

§. 3. Apologia. Aliud lethiferum Crimen ab Archipresbytero patratum.

Quotieſcunque, inquiunt, *capitula ſua, cum reliquis Compreſbyteris Papiſticis, celebrauit Nicolaus, illico poſtea à ſubditis, in publicis plateis, rebellia verba, audita ſunt; honeſti viri, hoc teſtantur, & res ipſa loquitur. Et inſuper Nicolaus Carbonera, intra & extra tormenta faſſus eſt, eum dediſſe Conſilium, decreta quædam, ſui Principis caſſandi, opera Regis Galliæ Legatorum, apud quos, Dominus Iulius de Turre, vt intimus eorum amicus, id benè obtinere, & facilè effectum dare poſſit: hoc ipſo etiam impediuit, ne Caioli Euangelium* (intellige Luthero Zvvinglianum) *prædicaretur*: hæc Miniſtri: Accipe illationem, quam è fabula educunt, & ſuauiuſculè nobis obtrudunt:

> *Ergò iuſtè à nobis captus, in equuleo extenſus, tormentis tandem extinctus, ſub patibulo, Aſini ſepulturam accepit.*

O noua ſycophantiarum Toreumata, ô Falſitatum latifundia, quæ tardi ſtupidique Beotæ, ſuammet in Confuſionem, aggerunt, & laqueum, in quo ſuffocentur, ſibimet contorquent. Num Capitale Crimen, Archipresbyterum, conuentus Sacerdotales, & Capitula celebrare, vt diſciplina Eccleſiaſtiea, ordinata Sacramentorum diſpenſatio, Catholicæ Religionis propagatio, diuini cultus decentia, ritè conſeruentur? iſta & non alia, in eiuſmodi Capitulis Ruralibus tractantur, non de rebellionibus, neque de ſubditorum tumultibus, quicquam agitatur.

Quid in Capitulis ruralibus, potiſſimum tractetur.

Rebellia eiuſmodi verba, oggerunt viliſſimi Tabernarij, *à ſubditis poſtea, in plateis audita ſunt.* Eſto, ſit verum, quod falſiſſimè adſtruitis; quis Iudicum, aliquem è ſubditis, talia effutientem, apprehendit, examinauit, euicit, publicis tabulis conſignauit, Archipresbyterum, eiuſmodi verborum cauſſam, originem, primarium auctorem, extitiſſe? non conuictus igitur, cur à vobis ad tormenta, ad mortem, ad patibulum condemnatur? diſpudeat, eiuſmodi putrida, deliria,

Minimè ſolida, ſed ſtolida replicatio Miniſtrorum.

deliria, & fætentia nugamenta, in medium producere, vt immane Parricidium, à vobis perpetratum, excuſetur, friuolaque Iuſtitiæ larua, obueletur. Annon hîc Euangelium veſtrum, Doctrinam veſtram, Synagogam veſtram, totius orbis ludibrio, peſſum dandam exponitis? an non veſtro vos gladio iugulatis? annon erubeſcitis, cum tot mendacia, quæ cuditis, veſtramet opera, ſic deſpumata, ſic repexa ſub incudem reuocantur? O propudioſiſſimum propudium.

Sed aliam, ecce, proteruã, Homulorum delirantium, inſaniam: *Nicolaus Carbonera, intra & extra tormenta, hoc confirmauit*; quid inquam confirmauit? Verba rebellia, à ſubditis audita. Quid hoc ad Archipresbyterum, de quo nihil Carbonera? ô inanes, ô euanidos, mẽdaciorũ fumos. Noſſe aues bone lector, quæ nam rebellia verba, in populo Sondrienſi, præſertim Catholico, percrebuerint? nefaria Prædicantium Miniſtrorum, præſertim Petri Ianetti, Ioannis à Porca, & ſimilium Putrilaginoſorum Carcinomatum, Fornicationes, Stupra, Adulteria, Inceſtus, Sodomiæ, Beſtialitates, apud vulgus peſſimè audiebant, acriterque ſine metu, carpebantur; econtra, integerrima Archipresbyteri vita, ab omnibus paſſim, etiam Luthero Zvvinglianis, ſummis efferebatur encomiis. Hinc illæ lachrymæ, hic ſcrupulus, veteratoribus Euangelicis in pectore, hæc trabs in oculis hærebat. Hæc rebellia, contra Magiſtratum verba, de quibus Martyrem noſtrum accuſant, & lata, in caput eius, ſententia, condemnant. O doloſos, ô iniquos ἀπατεῶνες. En vobis excuſationẽ, impiæ cædis, quam bono veſtro productam, cupiebatis; ſpectate ad libitum, & ſi vultis, ad nauſeam, ructum & vomitum, exanimem, fætentis inſtar cadaueris, in ſandapila iacentem, quam affertis defenſionem: qui nam eius Pollinctores? qui Libitinarij? qui Veſpillo-

Futilißima calumnia probatio.

Veritatis nucleum.

ſpillones, & funeratij Curatores? Voſmet Prædicantes, Ergo infamiá, quam vobis intriſtis, exedite, & vtres veſtros, porcinis hiſce ſiliquis atque furfuribus, ad ſaturitatem ſaginate, & ſuffarcinate.

Fucus alius Apologiſtæ retegitur.

Spectacula noua; Camelus hic iterum, cum Simia ſaltitat: Noua mendaciorum Peripetaſmata, & quaſi aulæa ac Periſtromata, calumniæ ſuæ, Miniſtri, denuò oppandunt: *Nicolaus Carbonera*, ſcribit ineptiſſimus Apologiſta Prædicans, *vlterius, intra & extra tormenta confirmauit, quomodo conſilium dederit Nicolaus, quędam Decreta Principis ſui caſſandi, mediantibus Galliæ Regum Legatis, apud quos Dominus Iulius de Turre, intimus vtpotè illorum amicus, id facile obtinere poſſet.* Addunt: *Eo ipſo, ne Euangelium, Caioli prædicaretur, impediuit.* O ſtagnum mendaciorum, vltra aluei margines, extumeſcens. O furtiuos, ô abſtruſos, & clandeſtinos fraudum cuniculos; ô nugarum fomenta, veluti Cinerum fauillas, puluiſculosq; nullo negotio diſplodendas. Principis mentionem facitis, ô quàm timidè, quàm amphilogicè, quàm dubiè? Quæro à vobis, quis Princeps ille? aut Nicolai Carboneræ Princeps, aut Nicolai Archipresbyteri, vt ſit Princeps oportet; Tertius non datur. Si Conſilium dederat Nicolaus Archipresbyter, caſſandi Decreta Principis, cuius ſubditus erat Carbonera, is ſanè inimicus veſter erat, Decreta eius, vobis contraria, vobis cane & angue peius exoſa erant. Quo pacto ergo irritationem aduerſantium decretorum, Conſilio ſuo procurans, in vos peccare potuit, vt Iure in equuleo, ſuſpendatur, in tormẽtis, beſtiæ inſtar, à vobis mactetur? an non potius in vicem remunerandus erat, qui quod odioſum, quod aduerſum, opera ſua, à ceruicib⁹ veſtris auertebat? Quod ſi per Galliæ Regis Legatos, Archipresbyter, ſui Principis decreta ceſſare, & añihilare ſatagebat, cooperãte Iulio de Turre, Is ſanè, vt nemini eſt iguotũ,

Dilemmate confunditur iterum Apologiſta.

alium

alium non habebat, nec agnoſcebat Principem, quàm Ill.mum & Reu.mum Dominum, Dominum Ioannem Epiſcopum Curienſem, ſacri Romani Imperij Principem. Is quanti à vobis fiat, quo in eum, ſitis animo affecti, ſententia indigitat, qua illum, extremo gladij ſupplicio, plectendum, ſine omni poteſtate & iuriſdictione, ſumma temeritate pronunciaſtis. Quòd ſi Archipresbyter, eius Decretis, eius Iuſſis, ac Mandatis non paruiſſet, quinimmò, quæ Ille Catholicæ Religionis bono ſanciuerat, euertere ſtatuiſſet, quàm gratus, quàm charus vobis Synedrus, euaſiſſet? quæ non munera, quæ congiaria; quæ apophoreta, non reportaſſet? Ecce igitur, quàm friuola, quàm nugatoria, & vana eſt hæc criminatio veſtra, qua eum mortem, quam intuliſtis, promeruiſſe, in Apologia veſtra, imprudentiſſimè extruſiſtis. Annon ob tàm probroſum, à te Apologiæ ſcriptor Prædicans Porca, incurſum dedecus, erubeſcis? annon expalleſcis?

Obſcuris verborum inuolucris, tota criminatio abundat.

Os durum, auriti pecorisq́, inſane Magiſter?

Poſſem equidem, ſi luberet, quas temerè egeſſiſti, pleriná; epiſtomiis euomuiſti nænias, plenioribus infandibulis, in os tuum mendaciſſimum, reiicere; ſed quis omnia, mendaciorum tuorum reciſamenta, ſic accuratè colligat, vt nihil relinquat? miſeret ſimplicium populorum, quibus impudentia veſtra, ſic turpiter illuditis, ſic imponitis, vt nunquam ſaturi, mendaciorum, à vobis decepti, æternæ ſalutis iacturam incurrant.

Regerit Apologiſta. *Hoc medio Archipresbyter*, id eſt, caſſando Decreta Principis, *impediuit, ne Euangelium Caioli prædicaretur.* O luteum Caſſiteron, ô inutile gluten, ad ferruminanda, & compaginanda Predicantica mendacia. Heus Apologiſta, ſine vt falſitates tuas pauliſper depuremus. En tibi murices ſpargo, quos, vbicunq; pede preſſeris tuo, in

Alia Apologiſtæ calumnia detecta.

in quodcunq; latus incubuerint, aculeos tibi, vnum alterumuè protendunt. Decretum haud dubiè, Curienſis Epiſcopi erat, ne permitteret Archipresbyter, Caluinianum Euangeliũ Caioli Prædicantibus diſſeminari. Si prohibuit ſi Prædicantibus obſtaculo fuit, ſi conatus eorum impediuit, quomodo ſui Principis decreta, eneruare molitus eſt? Sin autem Decretum Epiſcopi refixit, ſi caſſum & irritum eſſe voluit, quomodo Præſuli ſuo morem gerens, Pſeudoprophetas LutheroCaluinianos à molimine nouo abſterruit, & Catholicæ Religionis Exercitium, Caioli ſeruauit? Et hoc quidem præſtitit, & benefecit, ad id obligatus erat, ex officio, quod gerebat. Quid hic tormentis? quid morte dignum? Nemini iniuriam facit, qui Iure vtitur ſuo. Vſus eſt hic Nicolaus. quo igitur Iure, in tormentis eum extinxiſtis? Væ vobis, ſi conſimili talione, Catholici Sacerdotes & Antiſtites, aduerſum vos proceſſiſſent. Sed abrumpo orationis filum, & ad alia progredior.

CAPVT XXI.

Quarta calumnia Archipresbytero intentata, diluitur.

§. 4. Apologia. FAMVLATVM ſuum, vt video, calũniis & mentiendi libidini penitus addixerunt noſtri Pſeudologiarum Promi, & veritatis Condi. Aiunt enim: *Commune vulgus, ſic ad ſe attraxit, ſic eorum animos occupauit, vt etiam officiales, in Valle Telina,* Veldlinum aliàs appellant, *metuentes ingentem ſeditionem, & rebellionem, ob flagitia ſua, eum monere nec auderent, nec vellent.* Quid hinc obſecro concluditis, ô Semidoctuli Blaterones? quid hinc elicitis, ô inficeti Caprimulgi, ô ſtipo, & obtorto iudicio,

Calui-

Caluinicolæ? in quam acre & mordax Pſylothrum, vos met & omnes Compalæſtritas veſtros, vltrò immergitis? & quando tandem emergetis? ne dubitate, in vos quadrabit illud Prophetæ: *Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo.* *Ioëlis 1.*

Sed dicite obſecro, quo nam medio, Nicolaus Archipresbyter populum attraxit? ſanctiſſima Innocentis vitæ, integritate, animi ſubmiſſione, morum ſuauitate, comitate conuerſationis, Manſuetudine in corripiendo, zelo animarum, in Prædicando atq; docendo: Vno verbo, gratiſſimo virtutum odore, de quo Sapiens: *Sicut Cinnamomum & Balſamum aromatizans odorem dedi:* Et rurſus: *Sicut Balſamū non mixtum odor meus.* Et Apoſtolus Paulus: *Chriſti bonus odor ſumus, in omni loco.* Hac ipſa virtutum fragrantia, quam omnis vita, loquela, actio, greſſus & inceſſus, omnis conuerſatio Nicolai ſpirabat, omnes quotquot eum nouerant, è populo, etiam Acatholicos Luthero Zvvinglianos, ſic permouebat, ſic afficiebat, vt non poſſent non, eum quaſi vehementiſſimè amare, & omnes, vt communem patriæ patrem, ſuſpicere ac venerari. Vnde cum fama increbuiſſet, cum in tormentis à Prædicantibus, ſic immaniter tortum, crudeliterque diſtenſum, vt expirârit, tanta omnium orta eſt comploratio, tantus luctus, tot lamenta, & querelæ, vt ſinguli, ſuum veluti parētem ſe amiſiſſe, plangerent, atq; dolerent; Econtra verò Prædicantes, Tortores & Carnifices, omnes & ſingulos, diriſſimis execrationibus Cacodæmoni deuouerent.

Virtutis ſua attractiua & amoris conciliatiua.

Eccleſ. 24.

2. Cor. 2.

Amor populi in Archipresb. eorum, & odium in Monſtros illos Carnifices.

Quod nam hic crimen, quod maleficium, quod ſcelus deſignauit Archipresbyter, ob quod à vobis mactandus veniret? *Populum attraxit, & ita ſibi conciliauit, vt Magiſtratus, Vallis Telinæ, quidquam ei auderent exprobrare.* Rectè: ſic nec Iudæi, Chriſto aienti: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Vobiſne ideo Chriſtus malefactor, quia populum attraxit, & qui- *Ioan. 8.*

Attractio populi ſine ſcelere.

dem, virtutum odore attraxit, quod in eo taxabant Iudæi, Conſilium de eius nece captantes? minimè verò? Ita nec ſeruus eius Nicolaus. Rei ſunt Iudæi ſanguinis Chriſti: Vos rei ſanguinis Archipresbyteri Nicolai. Quid enim culpæ habet, Magnetem attrahere ferrũ, ſuccinum, ſtipulas, ſolem è terra Vapores? ſic etiam culpa vacat virtutem attrahere homines, & hoſtium etiam fauorem, atque amorem, ſibi conciliare, quemadmodum Archipresbyter, non ſolùm à Catholicis, ſed à Zvvinglio Caluinianis impenſiſſimè diligebatur: Nam

Ioan. 11.

Virtus hoſtium etiam amorem conciliat.

Similia.

Ipſa quidem virtus, ſibimet pulcherrima merces.

lib. 13. Belli Punici.

Plinius refert, Pantheram, ob Aromaticum odorem, qui ex eius ore, quoties id aperit, copioſiſſimè halatur, omnia animalia, ad ſe allicere, & occulto quodam energemate, attrahere, & ſic ſibi conciliare, vt eam illicò cateruatim ſequantur; ſolo excepto Dracone, qui Pantheræ ſuaueolentiſſimam fragrantiam, non ſecus experitur, & excipit; atque lethale venenum; vnde præſentiam eius non ſuſtinens, latebras quæritat, & Cauernas anxius petit, ibique in ſe ipſo deficiens, omnino torpeſcit: Sic pulcherrimarum virtutum odor gratiſſimus, qui ex omni, Martyris noſtri, vita dimanabat, omnium Rhetiæ incolarum, animos capiebat, vt eum ſummo amore complecterentur: Vos autem magni illius, & Rufi Draconis, genuinum ac verum genimẽ, veluti toxicum quoddam lethiferum, eum auerſabamini, proindeq; liuore & inuidia tabeſcentes in profundũ, ſummæ crudelitatis, Barathrum, voſmetipſos præcipitaſtis, cum tantum virum, cuius vitæ puritas & Innocentia, in omnium oculis, & amore erat, captiuum abduxiſtis, torturæ ſubieciſtis, ſub patibulo, iam occiſum, ſepeliri curaſtis, tot inſuper mendaciis, & calumniis, poſt mortem, in Apologia veſtra, oneraſtis? Quid tandem lucrati

Simile.

lib. 10. hiſt. natural. cap. 76.

Miniſtri genimen Draconis Magni & Rufi.

eſtis?

eſtis? Infamiam, Dedecus, Probrum, pœnas huius vitæ, & alterius Gehennæ flammas, certò certius, vos expectantes.

CAPVT XXII.

Alia, ob ædificationem Arcis Fuentes, in Collimitiis Rhetiæ, à Mediolanenſi Gubernatore extructa, in Archipresbyterum coniecta criminatio, Carbone notatur, & obeliſco defigitur.

PERGVNT mendaciorum Tornatores, & falſitatis Mymphur, calumniarum loro circumligatum, egregiè rotitant, atq; circumagunt, vt Nicolaum Martyrem, iuſtiſſime ab ſe, ſupplicio affectum, meritoque occiſum eſſe, oſtendant. *Eo, inquiunt, tempore, cum Gubernator Mediolanenſis, Arcem Fuentes ædificare cœpiſſet, Morbennam ſe contulit, ad populum, atque vt exploratorum & aliorum teſtimoniis, certificati ſumus, in confeſſione, & peccatorum Exomologeſi, nec non occultè aliàs, populum dehortatus eſt, ne contra eiuſmodi Catholicum Principem, Hiſpaniæ Regem, militarent, ſi conſcientias ſuas illæſas ſeruare, & peccatorum abſolutionem, ab ipſo impetrare vellent. Quà in re trium confœderatarum partium prouiſori, ſe oppoſuit, quem ipſum contemptum & Rebellionem, patienter ferre coactus eſt.* Hæc Areopagitæ Luthero Caluiniani, in iudicio Tuſienſi. *Calumnia Miniſtrorum.*

Vnde obſecro, mi Prædicans Apologiſta, vnde tibi, quæſo, tã acuta acies, vt inuiſibilia videas, & lynceis quodámodo oculis, cordiũ arcana penetres? ſecretũ apud Catholicos, nõ eſt ſanctius, nõ eſt firmius, nõ eſt inuiolabilius, quàm Sacramẽtalis Confeſſionis. Quis tibi, tuisq; Congerronibus, illud aperuit, prodidit, reſerauit? *Exploratores*, in- *Calumnia dilutio.*

quies *noſtri, hoc reſciuerunt:* Eſto reſciuerint; non ſanè à Catholicis intellexerunt. Quid ſi à Caluiniſtis? Eorum fidem tanti facimus, quanti veſtram, qui nil niſi mendacia, meraſque calumnias, contra Archipresbyterum, nunquam non, in veſtro iudiciali Proſcenio, adduxiſtis.

Quod ſi demus, eum in Confeſſione, ouiculas ſuas monuiſſe, ne deſertis, Auſtriaca Domo, Hiſpaniæ, Galliæque Regibus, Confœderatis Heluetiis, contra pacta & Iuramentorum Sacramentis, obfirmata fœdera, nouum pactum, nouaque conuenta, cum Venetis, & ipſis adhærentibus Caluinianis, perfidè inirent: qua nam in re peccauit? Vbi deliquit? quid contra Deum & conſcientiam admiſit? vbi patriè Iura violauit? ô illepidum & infeſtiuum Ratiocinij Modum.

Euangelica demonſtratio Archipresbyterum culpabilem demonſtrans.

Archipresbyter in confeſſione Sacramentali, & alibi occultè, monuit pœnitentes ſuos, qui abſolutionem peccatorum ab eo petebant, ne pacta, Iureiurando, & authoritate publica à maioribus, religioſè, ſanctéq; ſtabilita, violarent, ſi ſaluam coram Deo conſcientiam ſeruare vellent:

Ergo à Miniſtris Prædicantibus capiendus, latronis inſtar in equuleo diſtendendus, in tormentis extinguendus, extinctus deniq; ſub patibulo humandus erat.

O malè cornatam, peſſimeque concinnatam, ex meris, non equidem Atticis, ſed Attellanis leporibus, efformatam concluſionem. O ſolidiſſimum, niſi malis, addita literula, ſtolidiſſimum argumentum.

Pergunt nihilominus, Equiſones noſtri Euangelici, conuitiandi libidini, fræna laxare. Et hæc illorum verba:

Verba Apologiſta.

Et quamuis Prouiſor ſupradictus, apud ſe decreuiſſet, eum propterea, coràm Senatu, & Communitatibus accuſare, nihilominus tamen, omittere coactus fuit, vſque ad 4. Auguſti Anni 1608. quo tempore à Communitatibus citatus, conſtituto inſuper 4, Nouemb. eiuſdem anni,

ni, trium confœderatarum partium iudicio, ex vtraque Religione, nunquam tamen comparuit. Hæc illi. Ecce tibi magnum illum Arietem, & ingentem Machinam, omnem Archipresbyteri innocentiam, funditus euertentem.

Non comparuit Archipresbyter, à populari confœderatorum iudicio anno 1608. 4. Auguſti citatus:

Ergo poſt vndecim annos in vincula & compedes coniiciendus,
Ergo in carcerem detrudendus,
Ergo immaniſſimæ quæſtioni ſubiiciendus,
Ergo cruciatibus, ad mortem emacerandus,
Ergo in cataſta interemptus, ſub patibulo ſepeliendus erat.

O diſſolutas, & fœda abſurditate diſſipatas ſcopas, quas, ſiue per Diaſtolen, extenderis, ſiue per Syſtolen contraxeris, tantundem afferent momenti, ad aggrauandam Archipresbyteri culpam, quantum, ſi lupus agniculum, de illata tibi iniuria, coram paſtore accuſaret. Laici non ſunt Sacerdotum iudices: non tenebatur ergo Nicolaus, etiam citatus, toties quoties, comparere. Ordinarius eius Iudex, erat Epiſcopus Curienſis: ſi quid in communitatem veſtrã peccauerat, cur ad legitimum Tribunal, eum non vocaſtis? nõ accuſaſtis? lucem, ô tenebriones, ô lucifugi veſpertiliones, exhorreſcebatis, friuola & fictitia erant omnia, quæ Archipresbytero imponebatis, quibuſcum in iudicio & coràm iudice, ab omni corruptione alienis, planè nihil effectum iri, proſpiciebatis. Hæc vos cogitatio, abſterruit, quò minus legitimo proceſſu, coràm competenti iudice, eum peteretis, ſed vſurpato, temereque arrogato, ſanguinis iudicio, per vim & Tyrannidem, eum opprimeretis.

Inſtant Apologiſtæ: *Per ſuos etiam Procuratores, nimium vrgentes corruptiones practicauit, vt videre eſt, partim ex literis, ad quendam amicorum, 22. 23. 24. Decembris, anno 1608. exaratis. Præ-* *Alia Apologiſtæ inſtantia.*

cipuè verò honeſtorum teſtium affirmatione. Quapropter, qui ſe ab illo corrumpi permiſerunt, mercedem ſuam, cum gratia tamen, acceperunt. Hæc Apologiſta. Heus bone vir, non ſufficit ſic ratiocinari, de vita & ſanguine honeſti viri

Corruptiones exercuit, vt videre eſt ex literis ad vnum quendam amicum ſcriptis, atque vt ſubornati & falſi pecunia corrupti teſtes affirmant.

Ergo captiuandus, ad mortem torquendus, trucidandus, & ſub patibulo humandus erat.

Calumnia Praedicant.

O quàm feſtiuis nugarum frondibus, friuolæ accuſationis frontiſpicium, criminatores conueſtiunt, quàm immanibus, è Cerebro Prædicantico, protuberantibus cornibus, dementiam produnt: Quid enim probant? idem ac ſi concluderes: *Ergo Acetabulum ſtat retrò fornacem, & cum detritis ſcopis, baculus in angulo.* Siſtite gradum, ô boni Miniſtri, & hunc, qui vos adeò premit, ſcrupulum, vobis ex feſtucabo, quæ nam illa, quam practicauit, corruptio, tàm immane ſupplicium promerita? an vobis corruptio, dehortari aliquē, à ſacrilega, iurati fœderis violatione? an vobis corruptio, ſibi concreditas oues, quàm diligentiſſime cuſtodire, ne à LutheroCaluinianis Cornicatoribus, in peſtiferos errores, abripiantur? an vobis corruptio, hortari amicos, vt diligenter attendant, ne quid detrimenti, Catholica Religio patiatur? Hæ ſunt famoſæ corruptiones illæ, quas genuinæ Archipresbyteri, literæ loquuntur: Hæ inquam corruptiones multiuariæ, ob quas extremo ſupplicio afficiendus videtur. O Ius, ô Æquitas Prędicantica, Miniſtellorum ZvvinglioCaluinianorum, Iſthmum perfoditis, dum hoc argumento Patricidium veſtrum immane, excuſatum iri vobis perſuadetis.

Gratia & Fauores Pradicātici.

Egregiam verò exinde laudem reportatis, dum gratiam veſtram iactitatis, qua cum alios mulctatis, qui ſe ab Archipresbytero, corrumpi ſiuerunt: Quæ enim gratia,

quoſ-

quoſdam ad gladium, ad furcam, ad ſectionem, quoſdam ad fuſtigationem condemnare? quæ Gratia, quoſdam bonis & Poſſeſſionibꝰ vniuerſis exutos, perpetuo exilio damnare? quæ Gratia, quibuſdam quingentos, nonnullis mille, aliis duo millia, aliis decem millia, aliis viginti millia, aliis quadraginta, & quinquaginta millium aureorũ mulctam imponere, & impoſitam, per vim extorquere, & extortum aurum, communitatibus, per fraudem ſuffurari? Hæ Gratiæ illæ, & expetitæ Miniſtrorum Gratiæ, hi fauores Prædicantici. Apagite ad malos coruos; ô ingratę Gratiæ, LutheroCaluinianorum Miniſtrorum. auerruncabit tandem aliquando Iuſtiſſimus iudex Deus, infauſtas haſce gratias veſtras, à Catholicorum ceruicibus, & in ipſiſſima capita veſtra, conuertet.

CAPVT XXIII.

Alia calumniarum Latomia, in Archipresbyterum, à Miniſtris extructa deiicitur & vaſtatur.

NOVO iterum Mendaciorum, & Pſeudologiarum dentifricio, titillantur Euangelici iudices, dum ſic nequiſſime argumentantur:

Archipresbyter, correſpondentiam, & multiplicem conuerſationem habuit, cum aliorum Principum officialibus, Gubernatoribus, Poteſtatibus, Legatis.

§. 6. Apologiæ. Alia demonſtratio Mathematica Archipresbyterum mortis reum arguens.

Ergo in Carceres abripiendus,
Ergo in Cataſta ſæuiſſime diſtendendus,
Ergo membris omnibus luxandus,
Ergo toto corpore diſcerpendus,
Ergo in cruciatibus enecandus,
Ergo ſub patibulo, terræ erat mandandus.

Per-

Percommodè, & haud inſulsè, quis adderet:

Omne cœlum eſt rotundum:
Cucurbita eſt rotunda:
Ergo cœlum eſt cucurbita.

Futiles criminationes aduerſariorum.

O exauctoranda Alcinoi ludicra: ô Paphlagonicas næ-nias, & inconditè exorbitantia, deliramenta. Quid obſecro cogitatis? vbi nam animi ſenſibus exſpatiamini? Vbi mente degitis? dum ſic inconſiſtentia, & ſemet vndiq; eludentia, profertis ratiocinia? O non vnus, ſed mille Anticyris, digniſſima argumenta; qui nam illi, Peregrinorũ Principum Præfecti, Vicarij, Gubernatores, Legati, quorum familiaritate, frequentius vtebatur, Nicolaus Archipreſbyter? audite mira: Regum Galliæ & Hiſpaniæ, & Heluetiorum Catholicorum Legati, Auſtriacæ item Domus, Gubernatores varij, & vicinia Rhetiæ degentes. Quid? annon Rhetis, Confœderati ſunt Reges Hiſpaniæ & Galliæ? annon confœderata Rhetis, tota Domus Auſtriaca? annon confœderati Rhetis Heluetij? quid igitur culpę contraxit, quando cum Regum, Principum, Populorum, & Rerumpublicarum, eiuſmodi Legatis, Gubernatoribus, Officialibus, familiaritatem iniit, contraxit, eademq́ue ſæpius eſt vſus? Quæ nam hæc patriæ proditio? Dum Catholicus Sacerdos, cum Confœderatis Catholicis, à quibus nihil mali metuendum conuerſatur? Quæro à vobis, an ſimili argu-

Retorſio argumenti.

mento, in vos agere detur? Eia agite quod Iuris in alium ſtatuitis, hoc & vos fertote & tolerate:

Miniſtri LutheroCaluiniani, apud Rhetos Confœderatos, contra Pacta, & Iuramentis vtrinq. firmata, cum Hiſpaniæ, Galliæ, Regibus, Auſtriaca Domo, & Helueticis Cantonibus, iam olim Religioſiſſime ſancita fœdera, nouum, antiquis contrarium, patriæ periculoſiſſimum, cum Venetis, & quibuſdam Germaniæ Caluinianis Proceribus, Fœdus inire ac ſtabilire contenderunt, ideoq́ cum eorum Lega-

tis

tis mandatoriis, poteſtatem habentibus, familiariſſimè egerunt & conuerſati ſunt:

Ergo digni ſunt, qui omnes & ſinguli, vt in Patriam perfidi, in malam Crucem agantur.

Concinna, & in omni Iure fundata, eſt hæc in perfidos, & contra Iurata pacta agentes, illatio. Vultis vt valeat? Vix credo: Væ vobis, væ gurgulionibus veſtris, ſi Iuſto Iudice Deo prouidentia ſua factitante, aliquando ſit valitura. Sed nihil ſceleris, nihil perfidię, ſublatet in Archipresbyteri cũ conſœderatorum Regum, Principum, Populorum, Legatis, crebra conuerſatione: non itaque valet reciprocatio; ineptiſſimæ, quam venditatis, argumentationis.

Vrgent porrò inſtantius; *Cum infidelibus Patriæ noſtræ originariis filiis, præcipuã coluit amicitiam, & ad illorũ conamina, conſilium & auxilium, præſtitit, quemadmodũ è literis, quas ille, & alij poſt ſe reliquerunt, videri poteſt.* Hæc Apologiſta. Ehẽ bone vir, quid reſtitas? quid pauitas? exclude pullum, cui tu ouum peperiſti, vnde lethifer Baſiliſcus egrediatur cuius obtutu, aut halitu, Archi presbyter conficiatur, Quinam illi infideles patriæ filij? Catholici, & omnes illi, qui antiquam, & iuramentis vtrinque firmata fœdera, inuiolata, ſarta, tecta, ſeruanda eſſe, contendebant. Quid tum etſi Archipresbyter Conſilio & opera, quinimò & ſcriptis in propoſito, eos animaſſet? optimi, haud dubiè, viri officium præſtitiſſet; Nec autographa, nec vera apographa literarum, aliud loquuntur: Ergóne à vobis, tot Cruciatib. & ſuppliciis afficiendus? Ergóne ſub patibulo tumulandus? O frontes, nimiũ obſoleta impudentia, detritas. Quid fruſtra laboratis? Quod Tityo Vultur; quod Ixioni Rota, quod Syſipho ſaxum; hoc vobis nefandi Parricidij, in Archipresbytero perpetrati, excuſatio, temere præſumpta.

Aduerſariorũ alia inſtantia.

CAPVT XXIV.

Aliud lethale Crimen, ob quod Archipresbyter adeò inhumaniter tractandus, vltimoq́ʒ ſupplicio afficiendus erat.

OBLIQVIS denuò ſtrophis, petitur Archipreſbyter, & felleo Prædicantium ſale, fricatur, vt mortis reus diffametur: Audite mira & ſtupẽda, quotquot, per Vniuerſum orbem, de vita & ſanguine malefactorum, iudicatis, quonam Fundamento nitantur, Sanguinarij, apud Tuſienſes, Iudicij Aſſeſſores, vt Archipresbyterum, iuſtè à ſe occiſum, demonſtrent?

§.7. Apologia.

Tempore, inquiunt, *Vltimæ denegationis tranſitus, & negotiationis Mediolanenſis, ſecunda vice Mediolanum ſe contulit, & ſummè ſuſpectum ſe reddidit.* Hæc illi. Ehem boni Viri, quid exinde infertis? quid educitis? quam conſequentiam elicitis? O Dialectica portenta:

Noua contra Archipresbyteri innocentiã argutatio.

Tempore denegati Tranſitus, & liberæ Negotiationis,
Archipresbyter, ſecundò Mediolanum profectus eſt,
& valde ſuſpectum ſe reddidit;
Ergò ignominioſè capiendus,
Ergò incarcerandus,
Ergò ad lanienam raptandus,
Ergò, diriſſimæ cruciatibus torturæ, conficiendus,
Ergò ſæuiſſimè mactandus
Ergò patibuli ſepulturà, poſt mortem, erat funerandus.

Ex ſuſpicione ſola nemo damnari poteſt.

Dicite obſecro, vnde Ius illud aut legem mutuaſtis, è cuius dictamine, concluſio iſta deriuetur? *ſuſpectum ſe reddidit, de Crimine aliquo, homo iſte: Ergo tanquam Criminis reus, extremo ſupplicio eſt afficiendus. Suſpicatur iniquus Iudex Petrum vel Ioannem, capitalis alicuius criminis, reum eſſe; Ergo Petrus vel Ioan-*

Ioannes, meritò à Iudice, extremo ſupplicio plectuntur. Quid obſecro, hoc Monſtri, ex mera ſuſpicione, hominem innocentiſſimum, mortis reum proclamare? Emoriar, ſi quid vnquam ineptius, audire contigit, in vita.

Memoriæ iſthic occurrit, quod de Photione Athenienſi, Plutarchus memorat: Intellexerant ex oraculo Athenienſes, vnicum duntaxat in ciuitate virum, ſuperſtitem eſſe, qui cunctorum ſententiis aduerſaretur. Populus itaque vociferans, iubebat illum ſtatim inquiri, vt occideretur. Quid Photion? Temerariis, malignorum hominum, ſuſpicionibus, innoxios etiam, & omni virtutum genere, ornatiſſimos viros, non rarò infeſtari ſciebat: ne itaque ſuſpicio, ad innocuum aliquem deuolueretur; Ego ſum, inquit; Ego ſum, de quo vaticinatur oraculum. Res erat plena periculi; quid cauſſæ, cur id in ſe receperit? ne forſan innocens quiſpiam, ex meris vulgi ſuſpicionibus occideretur. Hæc Ethnicus Princeps; Quid vos Luthero Euangelici Prædicatores? Doctores? Miniſtri verbi? Apoſtoli? & plura, ſi diis placeret, integerrimæ vitæ Sacerdotem, è nequiſſimis ſuſpicionibus veſtris, mortis reum pronunciatis? Vah, quàm traducitis, quàm denobilitatis, Euangelicum miniſterium veſtrum. *In Apophtegm. Græcorum.*

Sed quid dicam? Veriſſimum eſt Plutarchi verbum: *Vt morbus in corpore, non admittente, quod proprium eſt, multarum noxiarum, & abſurdarum rerum gignit appetentiam: ita calumnia & ſuſpicio, aduerſus optimos viros concepta, ſummam, vt plurimum, apportat iniquitatem:* Hæc ille, de vobis, O Luthero Euangelici, omnis æquitatis & iuſtitiæ expertes, Cyminopriſtæ. Verum eſt equidem, nec imus inficias; Bis Mediolanum profectus Archipresbyter: quo fine? quoue Conſilio? vt res nouas moliretur? abſit, abſit; id nec in mentem venit: Sancti Caroli Borromęi, à quo, in Mediolanenſi Se- *In moralibus. Simile. Archipresbyter Mediolanum profectus.*

minario enutritus, & educatus, atque in omni pietatis, & artium diſciplina, excultus fuerat, ſepulchrum, deuotè, pieque inuiſebat: Hæc & non alia itineris cauſſa, omnis expers malitię, nullum dans, vel minimæ ſuſpicionis, fundamentum, niſi perditiſſimis nebulonibus, qui omnes alios, omni planè culpa vacantes, è modulo tamen ſuo, ac pede, ſumma temeritate metiuntur.

CAPVT XXV.

Concluſio Iudiciarij Proceſſus in vitam & ſanguinem Archipresbyteri.

EXTRICATO iam tandem, friuolarum & futiliſſimarum accuſationum, ſpineto, truculentus, & planè barbaricus, miniſtrorum proceſſus, paucis etiam eſt excutiendus, & euentilandus.

§. 8. Apologia. Aures arrigite, & Apologiſtam loquentem audite: *Cum itaq; Iudices*, inquit, *& Iudicium, hanc accuſationem audiuiſſent, & proceſſus, & authentica conſtituta, diligenter inſpexiſſent, præfatas literas, ſicut & alias, quæ à Sacerdote quodam, Paulo de Sulmona, 6. Nou. Anni 1608. à Domino Philippo, Epiſc. Cumenſi. 15. Martij, Anni 1610. & à F. Franciſco Prouinciali Mediolanenſi, 11. Ian. 1611. datas, vnà cum multis aliis, ad ipſum Archipresbyterum ſcriptas, legiſſent, honeſtorum hominum teſtimonia, luſtraſſent, hæc & alia accuſationis puncta, vera eſſe, clarè inuenerunt.* Hæc ex Apologia.

Verba capitalis ſententiæ in Archipresbyterũ lata.

Refutatio calumniæ. Quid nugamini, obſecro, de Iuridico veſtro proceſſu? quid, de conſtitutis veſtris authenticis, fabulamini? quid de inuenta veritate narratis? Amabo vos, quo Iure eſtis Iudices? Quo Iure ſtatuta Iudicialia ponitis, & in Tuſienſibus roſtris affigitis? quo Iure, falſis, & ære numerato coëmptis teſtimoniis, tantum defertis? *Ex nihilo, nihil fit*, inquiebat ille; Non Iudices igitur, in Tuſienſi Iudicio veſtro,

ſed Cerdones, ſed Lictores, ſed Lorarios, ſed Carnifices & ſi quid his peius agitis. De literis inſuper, O inuidiæ Veneno tincti, & intoxicati, O maligniſſimi interpretes, à Sacerdote quodam, Paulo de Sulmona, Philippo Epiſcopo Cumenſi, & F. Franciſco, Prouinciali Mediolanenſi, ad Archipresbyterum exaratis, quid inutiliter & futiliter, conſcribillatis? Reprehēſione dignum, quid eas continere, tàm eſt verum, quàm ſuperiora omnia, quæ ad extremam confuſionem veſtram, in Archipresbyterum, mendaciſſimè, & malitioſiſſimè protuliſtis. Elinguamini igitur, & obmuteſcite, ô inſana, & centies poto helleboro, vix curanda capita, & quam incurriſtis, turpitudinem, ſilentio inuoluite, obruite, ſepelite. Quiſquis enim vir bonus, ab omni affectu liber, omnes eas perlegerit literas, nihil planè inueniet, quod Patriæ, & Reipub. bono, aut Diametraliter oppoſitum, aut contrarium, aut ſubcontrarium cenſeri, poſſit: omnia ſunt παρέργα, vaga, laxa, & ab omni, confœderatorum Rhetiæ municipiorum, pernicie, aliena.

Maligna litterarum interpretatio.

Sed nec dum malitiæ ſatis eſt, tametſi plenis Epiſtomiis, immò & aquæ ductibus, mendacia fuderit, & eructârit. Progrediuntur vlterius, vt ſerpentinum virus, in Archipresbyterum manifeſtius reddant, dum caſſu boatu, noua, è plauſtro, conuitia iactant: Sic enim fantur: *His tamen omnibus rectà contradixit, Confeſſiones eorum, qui torti, & poſtea ſupplicio affecti fuerant, negauit, propoſitas literas & teſtimonia, iocosè eludere voluit, & quidem riſibilibus dicteriis, refutare conatus eſt; nihilominus tamen, petiit, ſine vlteriori proceſſu, vel in perpetuum exilium relegari, vel ad triremes condemnari, lata iuſta ſententia, ad torturam, eſt deſtinatus. Cumq; iam primo die, ter ſinè lapidibus, attractus & diſtenſus fuiſſet, nihil tamē fateri voluit. Sequenti die, cum iterum ligatus, atq; iterum, ſine lapidibus, diſpan-*

§ 9. Apologia.

ſus fuiſſet, omninò debilem ſe oſtēdit, ac poſtea demiſſus, atq; à vinculis liberatus, mox vitam finiuit, non ſine magna ſuſpicione, mediante acutiſſimo veneno, hoc factum eſſe, quod ſigna cadaueris eius inſinuarunt. Tandem de Iure, ſententia lata eſt, vt eius cadauer, per carnificem, ad locum ſupplicij, vectatum, ibidem ſepeliretur. Hæc Apologiſta, è Sibillæ foliis & Apollinis Tripode.

Refutatio Apologiſtæ. Quæſo vos, ô Euangelici Rabulæ, O Imi ſubſellij, ganeis, & popinis magis, quàm Iudiciariæ Exedræ, Idonei, & Barathro digniſſimi, Balathrones: quid hîc iterū, voſmet, turpiſſimæ confuſioni, venum exponitis? cur adeò
1. Cænoſa labe, veſtraſmet frontes imbuitis & conſpurcatis? affirmatis, eum, vobis rectà contradixiſſe; & rectè: quid ni contradixiſſet? Innocens erat, quid ni calumnias veſtras, à ſe reieciſſet? additis: Expreſſas in tormentis confeſſio-
2. nes, extremo ſupplicio affectorum, eum pernegaſſe, & rectè: nam & Zambra, quæ per dolum & fraudem, falſis, vitæ, & liberationis promiſſionibus, ab eo exſculpſeratis, in mortis articulo reuocauit, Deoque in teſtem inuocato, ne quis exinde periculum aliquod incurreret, caſſauit & an-
3. nullauit. Oggrunitis inſuper, eum, propoſitas literas, & teſtimonia, iocosè eludere voluiſſe, & rectè: Nam literæ, aut adulterina manu, Characterem ipſius imitante, conſcriptas cernebat, aut bono interprete, eas legente, nihil omninò ſiniſtri, nihil in Patriam, Proditoriè admiſſi, cōtinebant: Cur innocentiam ſuam defendendo, ineptas admorſiunculas veſtras, ad oculum vobis non obtruſiſſet? ſic decebat, ſic eius Innocentiæ patrocinium, expoſtulabat. *Defenſio Iuris naturalis eſt, dum fama potiſſimum, quæ vita charior eſſe debet, maleuolorum calumniis premitur;* Chriſtum Regem ſuum, fidus Miles imitatus eſt, hoc in certamine, quo iniuriam à ſe repulit, & profligauit: nullum ergo piaculum contraxit.

Seneca ad Lucilium.

Sed

Sed ecce, ingens mendaciorum Prædicanticorũ farrago vel potius, ſylua, hic nobis reſeratur: mendacium eſt putrilaginoſum, Archipresbyterum rogaſſe, ne vlterius contra ipſum procederent, ſed vel perpetuò exilio, vel ad triremes condemnarent. Cur enim hanc ſibi adeò grauem mulctam impoſuiſſet, à quo nil ſceleris, aut flagitij, per atrociſſima tormenta, potuit extorqueri? Fætens mẽdacium eſt, Primo die, ter tantum, in fune, & machina torturaria, ſublimem attractum; altero verò die, tantum bis, & quidem ſine lapidibus, extenſum, & cum ſe debilem oſtenderet, illico demiſſum, & à funibus ac vinculis ſolutum, ac breui poſtea, vitam finiiſſe. Stant contra vos, & teſtimonium præbent, collegæ veſtri, iudices laici, Tabelliones & ſcribæ, qui præerant quæſtioni; Nam & ipſi, immanem truculentiam veſtram, deteſtatum ibant, & miſerabilem Archipresbyteri ſortem, ſecum tacitè deplorantes, grandæuo ſeni, propemodum octogenario, compatiebantur. Enorme rurſum, ac fœdiſſimum mendaciũ eſt, Archipresbyterum, acutiſſimo quodam veneno interemptum: Monſtroſum itidem, & Hippocentauricum eſt mendacium, veneno poto, occiſum, idque corporis eius, ſigna luculentiſſima, ſatis ſuperque indicaſſe. Vah quàm ſplendidè, ô non odorato ſapone, ſed lixiuio fullonio, digna ablui capita, lubet hic vobis fingere & calumniari: cogitate obſecro, quonam veneno, vir tantæ ſenectutis, in tanta corporis mole, à vobis hinc inde raptatus, & agitatus, ruptis circa præcordia venis, ingentem ſanguinis copiam, euomens, potuerit enecari. Et illud falſiſſimũ eſt, vel minimum, veneni ſignum, in eius corpore comparuiſſe; quinimò viuaciſſimus ſine omni pallore, & lurore vultus, & natiuus membrorum omnium, ac ſuccoſus color, omnem veneni ſuſpicionem, remouebant: Vt quid ergo

Mendaciorum congeries.

1. 2. 3. 4. 5.

Veneni ſuſpicio diluitur.

6.

ergò mendacia, mendaciis fimbriata, pudibundè variegatis? Claudite iam riuos, aliquando tandem, ſat huc vſque Cretizatum, ſat fabulatum, ſat nugis ac triuialibus næniis indultum.

Apolog. §. 9. Iniuria ſepultura ſub patibulo.

Sed ecce, totius Tragediæ Cataſtrophen: *Adhæc*, inquiunt, *vlterius de Iure ſententia lata eſt, vt eius cadauer, per carnificem, ad ſupplicij locũ, vectatum, ibidem ſepeliretur*: Prô Deûm atque hominum fidem, quando tandem mendaciis veſtris Colophonem, & extremam manum imponetis? Eia agite, quod Ius? quæ lex? in Sacerdotis vitam & ſanguinem, poteſtatem, vobis conceſſit? quod Imperatorum reſcriptum? quod Regium diploma, iubet, vt innocens, & quidem Presbyter, neque conuictus, nec oris propria confeſſione, reus probatus, in tàm grauibus tormentis extinctus, ſub patibulo ſepeliatur? Vnum è duobus fateamini, neceſſe eſt: Ius gladij, confœderati Rethi, aliundè non poſſunt habere, quam vel ab Imperatore, vel à domo Auſtriaca. Quonam Iure, in executione ſanguinaria, vtitur domus Auſtriaca? Carolino, à Carolo Quinto, in publicis Imperij Comitiis, in ordinem redacto: Illud rogo, euoluite, & Paragraphum mihi oſtendite, in quò friuolè prætenſum, Ius veſtrum, firmetur, & omnem victoriæ Palmam, in cauſſà Archipresbyteri, vobis vltrò cedam. Eſtis igitur, & egiſtis Iudices, ſine Iuriſdictione, ſine Iure, ſine poteſtate, ſine æquitate, ſine legibus, ſine moderamine, ſine diſcretione: ac proinde immanes homicidæ, ſacrilegi, carnifices, truculentiſſimi tyranni extitiſtis, & manebitis, in omni ventura poſteritate.

CAPVT

CAPVT XXVI.

Mendacia duo, auctarij loco ſuperaddita ab Apologiſta, diſſipantur.

VLTIMVM tandem ſpectate fucum, quo barbariem, ſceleratiſſimamq́ue truculentiam ſuã, occultent Prædicantes: *Præſumptuoſa falſitate,* inquiunt, *ac per calumnias, quorundam ſparſum eſt, Ruſcam odio Religionis, in carceribus, vſque ad mortem, barbaricè excruciatum; contra quod honeſti viri, vtriuſq; Religionis, qui adfuerunt, ſufficienter teſtari poſſunt, quod vtroq; die, in omnibus, non vltra horam, & quidem* LEVISSIMA TORTVRA, *in fune pependerit: Sed ſicut antea dictum, aliis mediis occiſus eſt.* En tibi Epilogum totius Calumniæ Apologeticæ, in Archipreſbyterum, à Dentifrangibulis Luthero Caluinianis, nequiter effictæ. Sed ſic elumbatum, ſic ſubneruatum videbitis, vt vel ex hac cauda lupum apprehendatis. Age ad rem. *§. 10. Apologia.*

Caninis hîc iterum, & aprugnis dentibus, martyris exiſtimationem optimam, arroſum & morſicatum eunt, dum non Religionis Catholicę odio, ſed ob flagitia in tormentis, adeò inclementer dilaceratum, fortuito Caſu, extinctum oſtendunt. Ecquis lupo, ouem lanianti, credat, ouem ob maleficia ſua, toti ouili multifariam illata, pœnam illam, commeruiſſe? Ita nec vobis, ô Lycanthropi, vel miculam fidei, exhibemus, dum aſſeritis Nicolaum Archipresbyterum, non religionis ergò, ſed patratorum, intuitu ſcelerum, à vobis, barbarica prorſus, & Scythica immanitate, trucidatum. Immane Parricidium, veſtrum, iuſtitiæ cuiuſdam ferrugine, ô Pſeudologiarum Plaſtæ, oblinitis, velut figuli, teſtarum iuncturas, in fornace, ne lutoſus argillæ, appareat color: ſed prius aquam è pumi- *Refutatio calumniæ.* *Simile.* *Simile.*

O ccex-

ce expreſſeritis, & è ſilice ſanguinem, elicueritis, quàm à nobis credulitatem: noti ſunt nobis, genij & ingenia veſtra: ſicut enim Chamæleon, vitam ex aëre ducit; ſic vos è præpingui mendaciorum atque conuitiorum ſagina.

Simile.

I. Mendacium finale.

Finis coronat opus; Quomodo Lithotomi Luthero-Caluiniani, Apologiam, qua Archipresbyterum è medio, iuſtè ſublatum, probare contendunt? Præclaris iterum, ac luculentis duobus mendaciis. Vultis primum? Ecce præſto eſt: Aſſerunt: *Eum bidui ſpacio, non vltra horam, & quidem in leuiſſima tortura, in equuleo pependiſſe.* Heus boni viri; In fundo limpidiſſimo, laceris hic iterum retibus, piſcari vultis; Mihi credite, nil capietis: Contrarium; & apertè profitentur, & vobis in faciem exprobrant, veſtræ Religionis complices, & conſortes; quid vlterius exquiritis, ad extremam veſtram confuſionem. O nefas, ô propudium. annon vos, vanitatis iſtius, merito diſpudeat? Mendacium vnum.

II. Mendaciũ finale.

Alterum quoque, in Proſcenio Dramatis huius; ſpectare cupitis? *Aliis mediis, veneno nimirum, ſubitò occiſus eſt.* Quis nam obſecro, dum veſtris ſub manibus detineretur, captiuus, tàm potenti veneno, è viuis eum tollere potuit? Aut aliquis è numero veſtro, aut ex amicis eius, quiſpiam; aut ipſe carnifex, venenum ex compaſſione præbuit, vt tantò citius, è tormentis liberaretur. Num quis veſtro, aut aliorum Iudicum è numero? abſit, abſit, ſuſpicio non eſt de vobis, qui ex odio, quo flagrabatis, adhuc millies grauiora ſupplicia, ei publicitus inferre cupiebatis: qua de cauſſa, veſtraſmet ſacrilegas ac violentas, in tortura, optimo Sacerdoti, manus, intuliſtis, & ſanguine illius cruentaſtis. Multò minus cadit ſuſpicio, in Iudices laicos, collegas veſtros: Nam & illis exoſus erat, ob Hiſpaniam, quam vulgò diffamabatis, factionem; & quod magis exagge-

aggerat, & approbat veritatem, quàm diu tormentis eum exagitaſtis, nullus eorum, ad officinam veſtram torturariam, propius acceſſit, tametſi preſentes eſſent, quæſtioni. Nec venenarij officio, fungi potuit quiſpiam ex amicis: Nam neminem vnquam, neque in captiuitate, neque in tortura, ad eum intromittere voluiſtis, & ſub graui mulcta, ne quis eum adiret, vetuiſtis.

Quis alius ſupereſt, in quo ſuſpicio iſta, pedem figere poſſit? Ehodum, ô bone Curienſium carnifex, Magiſter Chriſtophore Wick; Tu enim miniſtrorum Prædicantiũ præſidem, tu Agonothetam, in tormentorum, & martyrij certamine, egiſti; In te, hæc faba cudetur: nam te viderunt, fluentibus quandoque lachrymis, Archipresbytero compatientem; quinimmò & ſanguinem, quem ruptis præcordialibus, in tortura venis, copioſiſſimè effundebat, ſtrophiolo abſtergentem: non audis miniſtros, veneni præbiti culpam, tibi exprobrantes? *Tu tu*, inquiunt, *Nebulo, tu es ille, qui homini huic venenum obtruſiſti; nam alio quoque tempore, te vidimus etiam hîc, in carcere, araneas captantem, & ſcatulis includentem: Ergo & modò, malefactorem iſtum, veneno ſuſtuliſti.* Sed carnifex innocentiam ſuam, egregiè defendit, tum è ſenio, & mole corporis Archipresbyteri, tùm è ruptura, Præcordialium venarum, tum è copia ſanguinis effuſi; tùm ex ipſa miniſtrorum crudelitate, qui è fune pendentem, quà trahendo, quà agitando, atque trudendo, ſupra modum horrendè diſtraxerant, vt mirum non ſit, quod iam expirârit. *Suſpectũ de veneno carnifex Chriſtoff Wick.*

Sed quid de araneis? Sunt ſanè beſtiolæ venenatæ, quas ſi collegit carnifex, miniſtris, ex aliquo, potuit ſuſpectus eſſe, fundamento. Rem paucis tibi aperio. Solebat carnifex, M. Chriſtophorus Wick, rei Medicæ, & Chirurgicæ, non ſanè imperitus, graſſantibus contagioſis, & peſtiferis, *Fundamentũ friuola ſuſpicionis in carnificẽ.*

ſtiferis febribus, aut etiam ipſa lue, ex aranearum veneno, Lethargyro, aliiſque ſpeciebus, amuletum penſile conficere; quod qui è collo geſtabat, vt venenum veneno pellitur, à venenatis illis contagionibus, non facilè corripiebatur. Quam igitur inſulſa eſt, hæc argumentatio veſtra, ô Miniſtelli?

Carnifex araneas collegit aliàs, pro paranda, contra venenum peſtiferum, Medicina.

Ergo & nunc eodem aranearum (quarum tamen nullam tunc temporis collegerat) veneno, Archipresbyterum, è medio ſuſtulit.

Silete obſecro, Silete, ô Popinarij Thermopolæ, ô Euangelici ganeones; facilius nobis perſuaſeritis, Piſces alitum more, per aëra volitare, aut arborum ramos occupare, quàm martyrem noſtrum (quem fucum, ad palliandam crudelitatem veſtram, nefariè excogitaſtis) veneno periiſſe. In ſaccum veritatis, ô bone Apologiſta, vſq; ad aures, iã es detruſus, nec te facilè expedies, aut extricabis. Vos autem, ô mendaciorum Polymitarij, & margaritarij calumniarum, LutheroCaluiniani Prædicantes, Tyrannicæ & Sanguinariæ crudelitatis maculam, ab Euangelio & Miniſterio veſtro, nunquam abſtergetis, & martyr Nicolaus, *vt Palma florebit in domo Domini, & ſicut Cedrus Libani multiplicabitur.*

Pſalmo 91.

CAPVT XXVII.

Proceſſus criminalis, Miniſtrorum Zuuinglio-Caluinianorum contra Reu.^mum & Ill.^mum ſacri Romani Imperij Principem, Ioannem Epiſcopum Curienſem, capite plectendum inſtitutus,

ſtitutus, in vſurpato illo, & cruento iudicio Tuſienſi.

EXPEDITO iam tandē, Archipresbyteri martyrio, reſtabat, vt luculenta miniſtrorum temeritas, extremæ amentiæ crudelitatiq́; coniuncta, in ſcenam, quam poſuêre, Apologeticam extracta, obiter tantum leuique quod aiunt brachio, excuteretur. Sed quis tot calumniis, tot mendaciis, tot vanitatum ac falſitatum tēdiculis, vti par erat, euentilandis data opera, Calamos lubens deferat, & atramentum cum Charta, inutiliter abſumat? Totam ex partibus, quas hic expendendas, proſtituimus, Apologiam, ſine vlla difficultate explorabis, & è fundo expiſcatam, iudicabis.

Produco criminalem ſententiam in Epiſcopum Curienſem, Imperij Romani Principem, ſine omni Iure, & Iuriſdictione dictatam. Accipe igitur, quiſquis hæc legis, peſſimè conſutum, Iniuſtitiæ Prædicanticæ Pallium, vnà cum ſua foderatura; quin imo Centonem, multi colorib. nugamentorū, quiſquiliarū, criminationum, Conuitiorum, aſſumentis infartum, & oppletum, vſque ad ſummum; idq́ue verbis ipſiuſmet Apologiæ:

Etlich Tag darnach / hat man rechtlichen anklagt / Johanſen Biſchoffen zu Chur / welcher vor eilff Jaren von einem vnparteyiſchen Gericht beyder Religionen / gemainer dreyer Pündtē bandirt war / von wegē mancherley wider das Vatterland trewloſer Mißhandlungen / vnnd halßſtarriger Vngehorſame. §. 1.

§. 2.

Inſonderheit daß er Raht vnd That gegeben / daß gemaine drey Pündt / jhren Pündtsgnoſſen gegen frembden Fürſten vnd Herrn / minder, als ſich gebürt in acht hatten.

§. 3. Daß er Gelt genommen vnd außgeben / daß man den Herrn Eydtgnoſſen / vnſern vertrawtiſten Bundtsgenoſſen zuwider thu.

§. 4. Auch daß er denen / die ſich gegen vns feindtlich erzeigten / das Biſthumb in Schirm vbergeben.

§. 5. Vnd weiln er ſolcher vntrewer Sachen jhme bewuſt / darnach trachtet / ſo ſeine Sachen offenbar wurden / daß er möchte ein Legatenampt im Teutſchen Landen haben / ꝛc.

§. 6. Vber etliche Zeit iſt er / deß Banns gemainer dreyer Pünden vngeachtet / weil er die vntrewen Landkinder / ſo den Gewalt der Oberkeit an ſich gezogen / auff ſeiner Seyten hatte / wider gen Chur in ſein Biſthumb kommen / dahin er von Rudolff Planta / dem Rädleſführer der Verrätherey wider ſein Vatterland beglaitet worden: da er von ſeinem vorigen Thun nicht abgeſtanden: ſondern hat den Rahtſchlägen / ſo den Vatterländiſchen Freyheiten zuwider / gefaſſet warn / beygewohnet.

§. 7. Er hat vnſer Grentzhauß Fürſtenburg / ſo in Biſchoflichem Gewalt iſt / vor eilff Jaren laſſen außfreſſen / blündern / vnnd es darnach mit einer trewloſen / domalen von vns bandierten Perſon beſetzt.

§. 8. Er hat die Erblehen deß Biſthumbs / denen / ſo ſie Erbsweiß zugeſtanden / vnd aber nicht Biſchoflicher faction warn / wider Recht genommen / vnnd andern ſeiner Haarn gegeben.

§. 9. Auch Biſchofliche Geſtifft Lehen / gar vom Geſtifft verwendet / vnd ohne deß Gottshauß Bunds / als Kaſtenvögten / Wiſſen vnd Bewilligung verkaufft.

§. 10. Verrätheriſche / leichtfertige / trewloſe Perſonen / hat er in Sachen wider das Vatterlandt gebraucht vnnd gefürdert.

In Standſachen hat er auff den Dörffern wider Ehr vnd Eydt geprediget: §. 11.

In ſonderbaren Politiſchen / vnnd deß Vatterlands Grentzen / betreffenden Differentzen vnd Spänen / hat er ſich mit Gelt corrumpirn laſſen / vnd iſt vnſer allgemainer Gegenpart zugeſtanden: §. 12.

Seine Bundtsgenoſſen der Euangeliſchen Religion / bey frembden Ständen wider den Religions Landsfriden / hat er Ketzer geſcholten: §. 13.

Die Begräbnuß jhnen in ſeiner Biſchoflichen Iuriſdiction auſſert vnſerm Land abgeſchlagen: Alſo daß man jhr todte Leichnam in vnſer Land zur Begräbnuß führen müſſen: vnnd hat andere Partheyligkeiten mehr erzeiget. §. 14.

Als er nun gemerckt / daß ſeine Sachen gemainē Landen / vnnd dero Räthen offenbar worden: hat er ſich verſchines Jars / auß vnſern gebieten verfügt / vnd iſt auff ordenliche Citation zu dem Rechten nicht erſchienen. Deßhalb hat ein Ehrſam Straffgericht den 15. Septembr. diß Jars / nach dem ſie ſich in ſeinen eignen vnd ander Leuten / Handgeſchrifften gnugſam erſehen / Kundtſchafften abgehört / vnnd obangezogne Puncten mit vil andern mehr wahr ſeyn befunden / den vorigen Bañ ewigklich in Kräfften erkennt / ſein eigen Gut dem Biſchoflichen Stifft ohne Schaden / confiſcirt, jhne deß Biſchoflichen Ampts entſetzt / dem Gottshauß Bundt vñ Thumbcapitel beuolhen / daß bey erſter Gelegenheit ein anderer eingeſetzt werde / jhme in vnſern Landen Herberg zugeben / verbotten / vnd ſo er in denſelbigē ergriffen wurde / daß er mit dem Schwerdt hingericht werde. §. 15.

Reddo verbum verbo, idiomate latino, in gratiam lectoris, vernaculi noſtri idiomatis, ignari:

Diebus

§. 1. Diebus aliquot poſtea, Iuridicè accuſatus fuit, Ioannes Epiſcopus Curienſis, qui ante vndecim annos, coram iudicio, minimè partiali, vtriuſque Religionis, trium confœderatarum communitatum, ob multiplices, & varias ac perfidas actiones, contra Patriam, & pertinacem inobedientiam ſuam, Exilio fuerat damnatus.

§. 2. Accuſatus inquam fuit, quia Conſilio & opera iuuit, vt tres confœderatorum vniones, Erga externos Principes, iuramenta fœderis, minus quam debebat, obſeruarent.

§. 3. Quia pecuniam accepit, & expendit, vt contra Dominos Heluetios, fideliſſimos confœderatos ſocios noſtros, ageretur.

§. 4. Quia illorum, qui ſe erga nos hoſtiliter exhibebant, Patricinio, Epiſcopatum commendauit.

§. 5. Quia ſibimet huius infidelitatis conſcius, conatus eſt, ſi res eius manifeſtarentur, legati officium in Germania adipiſci, &c.

§. 6. Quia poſt tempus aliquod, contempto Banno confœderatorum, cum infideles Patriæ ciues, qui magiſtratus poteſtatem ad ſe attraxerant, ex parte ſua haberet, rediit in Epiſcopatum ſuum Curienſem, in Comitatu Rudolphi à Planta, anteſignani, proditionis, contra Patriam inſtitutæ. Nec tamẽ deſtitit à prioribus actionibus, ſed & Conſiliis, Patriæ immunitati aduerſantibus, cohabitauit.

§. 7. Arcem noſtram limitaneam, Furſtenburgum, quæ eſt ſub poteſtate Epiſcopali, ante annos vndecim, abſumpto commeatu, ſpoliari permiſit, eiq; perfidam, tum à nobis Banno mulctatam, perſonam præfecit.

§. 8. Hæreditaria Epiſcopatus Feuda, illis, ad quos hæreditario Iure pertinebant, contra Iura ademit, & aliis, ſuæ farinæ hominibus dedit.

§. 9. Quinimmò, Epiſcopalia feuda, omninò ab Epiſcopatu alienauit, & ſine confœderatorum, Eccleſiaſticæ Iuriſdictionis, tanquam aduocatorum præſcitu, & conſenſu, vendidit.

§. 10. Proditoriis, perditis, ac leuiuſculis hominibus, in rebus contra Patriam, eſt vſus, eoſq; promouit.

De:

De rebus ad ſtatum pertinentibus, publicè in pagis, contra honorem, & Iuramenta, concionatus eſt. §. 11.

In ſingularibus politicis, ad Patriæ confinia pertinentibus, controuerſiis, pecunia corruptus, ab aduerſariorum partibus ſtetit. §. 12.

Confœderatos Euangelicæ Religionis, apud externos ſtatus, hæreticos appellauit. §. 13.

Eiſdem, in Epiſcopali ſua Iuriſdictione, extra territorium noſtrum, ſepulturam Eccleſiaſticam denegauit, ita vt eorum cadauera, in noſtra ditione fuerint ſepelienda. Et alias inſuper partialitates oſtendit. §. 14.

Cum igitur animaduerteret, res ſuas toti Prouinciæ, & eiuſdem Conſiliariis innotuiſſe, anno præterito, è noſtra Iuriſdictione auffugit, & citatus ad noſtrum tribunal, non comparuit. Quamobrem venerabile iudicium punitorium, 15. Septembris, anni currentis, cum eius, & aliorum hominum literas & ſcripta, probè perluſtraſſet, teſtes audiiſſet, & prædicta puncta, cum multis aliis, vera eſſe, comperiſſet, priorem exilij ſententiam, perpetuò confirmauit, propria eius bona, ſine damno tamen Epiſcopatus, confiſcauit ab Epiſcopatu eum depoſuit, Eccleſiaſticis confœderatis, & capitulo Cathedrali, alium vt prima occaſione eligerent, mandauit, hoſpitio eum excipere, in noſtra Iuriſdictione prohibuit, in qua, ſi vſpiam comprehenſus fuerit, gladio vt puniatur, & decollетur, nouam inſuper ſententiam pronunciauit. §. 15.

O fumos; ô ſyncophantias; ô edentulas morſicationes. O tremulam & vacillantem, malè piſtam paſtamq́; malè curatam, ſordidam & hircoſam, accuſationem. Hæ ecce, Prædicanticorum Iudicum, ſunt bullæ, hi cortices, hæ veſicæ, quib. ſupernatant, ne in omnis iniuſtitiæ, abyſſum demergantur. Verum, adſtruo quod res eſt: *Fucata illicò pateſcunt, & ingenti ſtudio compta Cæſaries, exiguo quandoq́; vento, turbatur:* quod ipſum, vt è ſequentib. liquidum fiet, noſtro eueniet Apologiſtæ. *Corn. Tacit.*

CAPVT XXVIII.

Septem criminationes priores, ordine diluuntur.

IN altum, vi magna, ô Iudices miniſtri, torſiſtis ingens ſaxum, innocentem Curienſium Epiſcopum, petituri: id nunc in propria reciproco iactu, capita recipietis. *Ante vndennium,*

§. I. *Eiectio in Exilium.*

inquiunt, *à Iudicio minimè partiali, ex vtriuſque Religionis hominibus, conſtituto, propter varias & perfidas actiones, contra Patriam, & pertinacem inobedientiam ſuam, exilio eſt damnatus:*

Ergò nunc gladio eſt feriendus.

Quænam obſecro, conſecutio iſta? quæ connexio conſequentis, cum antecedenti? quomodo legitimum & minimè partiale Iudicium, quod ex iuratis hoſtibus, accuſati rei, eſt conflatum? Eſto, interfuerit, Catholicus vnus, alterue; at hi mortis & ſupplicij metu, magis muti, quam piſces, ne mutire quidem, minus refragari, audebant.

Perfidia Epiſcopi in Patriã qua?

Quænam porrò perfidæ in Patriam actiones? O mira & noua; reſtitit miniſtris Caluinianis, ne Quint Euangelij ſui Zizania, & ſteriles auenas, vbique ſpargentes, bonam Patrisfamilias ſementem, vbique perderent, & ſuffocarent, neuè Catholicam Religionem impunè paſſim, eradicarent; quænam iſta in Patriam Perduellio? annon potius in Deum, & Eccleſiam eius, ſumma fidelitas, & fides? num ideò ad gladium damnandus? Pertinacem rurſus inobedientiam eius incuſatis, vt gladij pœnam commeruiſſe, oſtendatis. Deus bone, quid veſtrum hoc ad Rhombum? quam vos, & vnde Iuriſdictionem accepiſtis, & poteſtatem, in Prouinciæ Rheticæ Præſulem, & iam à

Inobedientia.

mille

mille propemodum annis, Imperij Principem, quà Summo Pontifici, & Metropolitæ Moguntino, quà Romano Imperatori, & nemini alteri ſubiectum? quænam inobedientia, vbi nulla legitima poteſtas? En vobis, ô Phanatici Nugones, funditus corruunt, primaria, quæ poſuiſtis, fundamenta, & vix digitulo tacta, turpiſſimè collabeſcunt.

Præcipuè, inquiunt, *gladio eſt puniendus: Quia Conſilio & re iuuit, vt tres confœderatorum Vniones, fœderis Iuramentum, ergà externos Principes, minoris facerent, quàm deceret.* Video, in qua gutturis parte, ſpina hæreat, & vos torqueat, ô boni viri. rictum exporrigite, Chirurgi fungar officio, vt extrahatur. Quinam cum Griſoniæ incolis, ſunt Principes confœderati? Annon Rex Hiſpaniæ? Annon Rex Galliæ? Annon Principes Domus Auſtriacæ? & nemo alius. Quãdo Rex Hiſpaniæ, de hac perfidia Epiſcopum, apud vos accuſauit? Quando de ea conqueſtus eſt vnquam Rex Galliæ? Quis vnquam Auſtriacorum Principum, querelam contra eum, aut literis, aut legatis depoſuit? O Crumeniſeca, hic tibi manus deprehenduntur in ſacco; hic ô miniſtri, ſententia gladij colliqueſcit, vt nix ad ſolem. nec dum confuſi exalbeſcitis? nec dum expalleſcitis? §. 2. *Contemptus Iuramentorũ.*

Vlterius; *Pecuniam accepit, & expendit, vt multa contra fidiliſſimos confœderatos noſtros Heluetios fierent.* De pecunia calumniam cuditis, ô mendaciorum Fabri. Nihil vnquã contra Catholicos Heluetios, aut dixit, aut fecit Epiſcopus; Tigurinorum & Bernatenſium caſſatis antiquis, & iuratis fœderibus, cum Hiſpaniæ Galliæque Regibus, & Auſtriaca Domo, Venetum ſancire contendentium, conatibus, verbotenus contradixit; & rectè, atque ex conſcientia id fecit. Vbi gladij pœna mulctandum facinus patrauit? Cœlo iterum, ſoloque aberratis. §. 3. *Pecuniarum corruptela.*

§. 4. *Commendatio Epiſcopatus.* Nodus hic alius quæritur in ſcirpo. *Epiſcopatum, eorum Patrocinio commendauit, qui ſe hoſtiliter, contra nos exhibebant.* Qui nam illi quorũ Patricinio, Epiſcopatum commendauit? Romanus Imperator; & Rex Galliæ; Imperator autem de Iure, Epiſcopatus Curienſis eſt Patronus? Rex Galliæ, quid vnquam hoſtile, contra vos geſſit? Demus etiam commendaſſe in tot, à vobis quotannis concitari ſolitis, tumultibus, Chriſtianiſſimo Regi: quid hoc mali? Annon vno eodemque, vobiſcum eſt, Iurato colligatus fœdere? quod ergò ſcelus, ſi Epiſcopus, eius Patrocinium implorasſet? Vbi hic fas & ius veſtrum, vt gladio trucidetur? O boni Iudices, ô Apologiſta illepide, & infeſtiue, Girgillo veſtro, nimium craſſa ducitis fila.

§. 5. *Petitio alicuius officij in Germania.* Eia agite, Ælurus hîc iterum ſternutabit, ad Synapiũ. *Quia ſibi conſcius erat*, inquit, *eiuſmodi infidelitatis, conatus eſt, ſi res eius manifeſtarentur, officium legati alicuius, in Germania, adipiſci.* addunt inſuper. *Et cætera*, quaſi ingentem Crocodilum confixuri, vt qui Apologiam lectitat, abſtruſiſſima quædam, proditionis myſteria, huic legati officio, exiſtiment ſublatere. O Feli Crocoton. Quis non pertæſus, tot à vobis, & Euãgelio veſtro, excitatorum tumultuum, tot, quas nunquam non emittitis, furiarum, tot periculorum, S. Athanaſij exemplo, immanem adeò tyrannidem, ſecuritati ſuæ conſulens, non declinaret? Eſto id fecerit Epiſcopus; Quis vitio vertet? quis capitale crimen, gladio puniendum eſſe, dicat? O calumniam, vel ipſo ſolearum protritu exanimandam.

§. 6. *Reditus ad Epiſcopatum.* Sudam hîc denuò deuitat auram, veſpertilio noſter, & tenebras, quæritat, ſub quarum caligine, quod egerit, Proditionis Mycopron, Epiſcopo aſpergat. *Poſt tempus aliquod, contempto Banno, confœderatorum, cum infideles Patriæ Cines, qui magiſtratus poteſtatem ad ſe attraxerant, ex parte ſua haberet,*

beret, rediit in Epiſcopatum ſuum, Curienſem, in Comitatu Rudolphi à Planta, Anteſignani, Proditionis Patriæ; nec tamen ceſſauit, à prioribus actionibus; ſed & Conſiliis, Patriæ libertati contrariis, interfuit. Heus inſipide & inconditè Apologiſta. quid fit apud te, tuique ſimiles Matæologos, ex nihilo? nihil. quâ poteſtate? qua Iuriſdictione, confœderati Caluiniani, ſententiam Banni, in Epiſcopum tulerant? nullâ. licitiſſimè ergò, quacunque occaſione, & ſalua conſcientia, redire poterat, ad ſuum Epiſcopatum. Videte, obſecro, quàm incautè, quàm inconſideratè, propriam, veſtrorummet conuitiorum, ſegetem, proculcetis. hæc ſunt verba: **Er iſt widerumb gen Chur in ſein Biſthumb kommen**: *rediit Curiam, in ſuum Epiſcopatum*: ſi in ſuum rediit Epiſcopatum, non veſtrum, quam vobis iniuriam intulit? *Bannum noſtrum contempſit.* at is nullus erat, quia fundamento Iuriſdictionis carebat. Quænam porrò, contra Patriā conſilia quib. interfuit? Mira & admiranda. Cōſilia, quib. Religio Catholica, mediis, in Epiſcopatu Curienſi, conſeruari poſſet, cum Catholicis agitauit: nec immeritò. quid infertis? *Contra Patriam egit; Ergo caput ei gladio præſcindatur.* Quid? Eſtne, contra Patriam agere Epiſcopum, ſi media quærat, præcauendi, ne peſtilentiſſimarum hæreſeon Cancer, latius ſerpendo, totum ouile corrumpat? O pedicas, ô tricas, è quibus ſententiæ gladij, æquitatem nunquam extricabitis, nūquam expedietis. *Rudolphum à Planta Primipilum ac primicerium Patriæ proditorum appellatis*; cur? Quia Venetæ factioni, vnà cum aliis, qui Patriæ ſaluti conſultum cupiebant, omnium potentiſſimè reſtitit. Numerate igitur Gallinam inter volucres, Concham inter piſces Marinos, Patriæ amatorem, inter viros bonos.

§. 7.

In arce Epiſcopale commeatum abſumpſit.

Noua Sybilla, noua nobis carmina pangit: *Epiſcopus*, inquiunt, *limitaneam arcem noſtram Furſtenburgum, quæ ſubiacet*

iacet poteſtati Epiſcopali, omni comeatu, abſumpto, & euacuari, & ſpoliari permiſit, & poſtea perfidum, & à nobis exilio mulctatum hominem ei præfecit. Scirpeo iterũ ſuppedaneo nititur hæc omnis, Apologiſtæ coctura, & ſtructura. Annon contradictoria arx noſtra limitanea Fürſtenburgum; & arx limitanea Fürſtenburgũ, quæ eſt ſub poteſtate, & ditione Epiſcopi? Si eſt arx veſtra, quomodo Epiſcopi? ſi eſt in Iuriſdictione Epiſcopi, quomodo veſtra? Et ſi non veſtra, ſed Epiſcopi, quid in vos capitale deliquit Epiſcopus, ſi comeatu ibidem recondito, eſt vſus? Catholicum virum, quem vos perfidum appellatis, arci, ſuæ poteſtatis præfecit: quid hic gladij ſententia, & animaduerſione dignum, in ſummo Sacerdote, Imperij Principe?

O ægram, ô vacillantem, ô in extremis conſtitutam, & ægerrimè ſpiritum trahentem cauſſam, Tuſienſium tyrannorum: ô mendaciorum diſſonantiſſimam Cacophoniam. I nunc Apologiſta Prædicans, & gloriare, Gladij ſententiam, ſummo æquitatis Iure, in Epiſcopum, Imperij Principem, eſſe prouunciatam.

CAPVT XXIX.

Septem alia, in Epiſcopum calumnia, in pulueres abeunt, atq; à vento difflantur.

ALIAS merces Euangelicas, è verbo Domini LutheroCaluiniano, depromptas in Apologiæ ſuæ Mercatu, venum proſtituit, & exponit, noſter Apologiſta. emere non lubet; ita rancidas, & obſoletas: ac putridas merces? ſpectate ſaltem, & oculos paſcite, at nares interim, euitandi fœtoris Prædicantici cauſſâ obturate.

§. 8. *Hæreditaria,* inquiunt, *Feuda Epiſcopatus iis, ad quos hæredita-*

ditario Iure pertinebant, quia non erant Epiſcopalis factionis, contra omnia Iura ademit, & aliis, ſuæ farinæ hominibus, conceſſit. O tepidam criminationem. quid ais? ſi hæreditario Iure, ſunt Epiſcopatus, quomodo ad alios pertinent, hæreditario Iure? An vnius ſponſæ duo mariti, vna eademque vice? O Imperitos, ô Inſulſos Legiſtas. Sunt caſus in Iure, ob quos feudo quis excidit; accidere aliquando; ſententia commiſſi feudi, lata eſt, in foro competenti. Feuda ſic vacantia, in alios deriuauit Epiſcopus, Imperij Princeps: quid? Ideonè caput illi, à vobis, nec caſſa quidem nuce dignis, amputabitur? O veſparum ictus in Petram.

Priuatio Feudorum.

§. 9.

Sed ecce, recens alia fætura Euangelica, Lucinæ beneficio, gaudebit: *Epiſcopalia feuda, ab Epiſcopatu omninò alienauit, ſine ſcitu & conſenſu, Fœderis* Eccleſiaſticorum ſubditorum, tanquam Epiſcopatus, Aduocatorum. quid ſi cum conſenſu Summi Pontificis, bona quædam, quibus pro valore frui nequibat, ritè legitimeq; alienaſſet, atq; in commodiores, Eccleſiæ vſus conuertiſſet? quid ad vos? quid ad alios? an ideo capitis ſupplicium incurriſſet? Iure ſuo eſt vſus; nec vobis, nec alteri cupiam, iniuriam vel minimam conſciuit. Sed vertite obſecro folium, ac debitam Palinodiam cantate. Vos eſtis, ô Miniſtri Caluiniani, cum aſſeclis veſtris, qui ab Eccleſia Curienſi, tot bona, tot poſſeſſiones, alienaſtis, qui eam ita ſacrilegè ſpoliaſtis, vt cum olim inter ditiſſimos Germaniæ Principatus Epiſcopales, numeraretur, iam inter pauperrimos, vix locum obtineat. Vobis itaque ſacrilegis prædonibus, carnificis gladius, vel potius laqueus, tàm de Politico, quàm Eccleſiaſtico Iure, ex Merito non ſolum, de Congruo, vt loquuntur Theologi, ſed &, de Condiguo, deberetur.

Alienatio bonorũ Epiſcopaliũ.

Miniſtri ſacrilegi expilatores Eccleſiæ Curienſis.

Hor-

§. 10. *Conuerſatio cū Patriæ Proditoribus.*

Horrenda iterum, ſed bruta, quod gaudemus, fulmina, mittit Olympicus Iupiter, infit enim: *Proditores, leues, & perfidos homines, adhibuit in negotiis, contra Patriam.* quid inde? *Par eſt igitur, vt gladio pereat;* quin potius mi Apologiſta, vt tu furca: nam hæc illatio aptius multò in te, quadrat, quàm in Epiſcopum. Proditores, perfidos, & leues, vocas omnes illos, qui Venetæ factioni, repugnarunt, & priſca, tot Iuramentis ſancita, & ſolidata fœdera, contra Prædicantium, Erynnales furias, propugnarunt: Non ſunt Proditores, ſed Patriæ Patres, & Defenſores. Vos autem perfidiæ, & leuitatis cauterio, eſtis inurendi, & proditorum pœna, caſtigandi.

§. 11. *De rebus ſtatus peſſime locutus eſt.*

E putenti aluo, putentia, & Mephiticum fœtorem ſpirantia, excrementa deiiciuntur: ſic è mendaci Apologiſtę pectore mendacia malè olentia, eructantur. Taxat Epiſcopum: *De rebus ſtatus, in pagis, contra honorem, & Iuramenta concionatus eſt.* Sed quomodo? quid prædicauit? Publicè dixit; Iniquum eſſe ac perfidum, violare vetera, cum confœderatis Principibus fœdera, & noua cum Venetis inire. An malè dixit? minimè gentium, cur itaque capitis reum agis, atque ad gladij ſupplicium, ô inique Furcifer, depoſcis?

§. 12. *Statio à partib. aduerſariorū.*

Alia in Epiſcopi Innocentiam, arietatio: *In Politicis rebus, & in iis præſertim, quæ Prouinciæ limites attingebant, differentiis, pecunia corruptus, ſtetit à partibus, communium aduerſariorum noſtrorum:* Multa dicis mi vir, ſed pauca probas. Vbi? quanta pecuniæ ſumma, eſt corruptus? Quinam aduerſarij communes? An Rex Hiſpaniæ, in Ducatu Mediolanenſi? An Auſtriaci Principes? An Heluetij Catholici? at omnes iſti Collimitanei veſtri, ſunt vobiſcum Iurato fœdere iuncti; quomodo communes aduerſarij? eo duntaxat fine, talia äfferuntur, populo vt placerent, quas dediſtis fabulas.

Non

Non eſt equidem, vulgaris momenti res, Aſinus in Cunis: ô bella crepundia, quæ hic exhibentur. *Confœderatos Euangelicos, contra pacem Religionis, apud alios Principes, Hæreticos nominauit.* Quid tum, ſi Scapham, Scapham appellauit? Ergone gladio interficiendus? Heus inepte Apologiſta: quoties tu, & tui comminiſtri Papam Antichriſtum, Papatum Meretricem Babylonicam, Catholicos Principes, Imperatores, Reges, Meretricis huius procos, idololatras, ſacrilegos, vt peiora taceam, intitulatis? Ius eſt & fas, vt idem ius patiamini, quod in alium ſtatuitis. Si ergò Epiſcopus gladij pœnam incurrit, Hæreticos appellando, homines priuatos, in hæreſes prolapſos; Vos patibula, malas cruces, rotas, ignes, adeò atrociter conuitiando, ſumma capita, totius Chriſtianitatis. §. 13. *Zuuinglios Caluinianos Hæreticos appellauit*

Cum ocreis & calcaribus, nunc tandem, Apologiſta noſter, euolabit in cœlum, & lunæ cornua apprehendet, vt vel hoc extremo impetu, Epiſcopus, capitis reus, conuincatur: *Noſtræ Religioni*, inquiunt, *addictis, in Epiſcopali ſua Iuriſdictione, extra ditionem & Prouinciam noſtram, denegauit Eccleſiaſticam ſepulturam*, ita vt eorum cadauera, in noſtrum territorium, & ſepulturam, fuerint deuehenda, & alias quoq; partialitates complures exercuit. Et quid ni ſepulturam Eccleſiaſticam illis abnuiſſet? ſic Iura volunt, ſic antiquiſſimi Eccleſiæ Canones, ſtatuunt. Fatemini porrò, extra territorium veſtrum, in ſua Epiſcopali Iuriſdictione, hoc eum feciſſe; quid ergo? Vbi? qua nam in re, contra vos deliquit, vt gladio, ceruices ei præſcindantur? Veſter ſubditus non eſt, Epiſcopus; in territorio veſtro, nil deliquit; quo Iure, capitis eum damnatis? O arundineum, vacillãtis calumniæ baculum, cui parùm ſecurè, in tanta, cauſſæ veſtræ, lubricitate innixi, in æternæ cõfuſionis, ineluibile lutum, voſmetipſos, turpiſſimè præcipitaſtis. Fru- §. 14. *Sepulturã Eccleſiaſticã negauit hæreticis*

ſtra calamum detriuero, ſi prolixiori ſermone, gerras ſiculas, quas capitalium flagitiorum loco, in Epiſcopi damnationem, ad gladium, ſtolidiſſimè congeſſiſtis, ineptiſſimè conuaſaſtis, & in mercatu Apologiæ veſtræ, venum propoſuiſtis, moliar explanare. Nolumus pro farina furfures, pro vuis algas, pro ficubus fungos, pro ſolidis rationibus, ſtolidas fabulationes, in negotio tanti momenti, in quo de Epiſcopi, & Imperij Principis, capite diſputatur, temerè acceptare.

§. 15. *Sententia in Epiſcopum promulgatio.*

Deciſa tandem eſt cauſſa: Nunc Iudex pro Tribunali ſedet, ſententiam promulgaturus. Ea ſic habet: *Cum igitur animaduerteret, res ſuas toti Prouinciæ, & eiuſdem Conſiliariis innotuiſſe, anno præterito, è noſtra Iuriſdictione auffugit, & citatus ad noſtrum tribunal, non comparuit. Quamobrem venerabile iudicium punitorium, 15. Septembris, anni currentis, cum eius, & aliorum hominum literas & ſcripta, probè perluſtraſſet, teſtes audiiſſet, & prædicta puncta, cum multis aliis, vera eſſe, comperiſſet, priorem exilij ſententiam, perpetuò confirmauit; propria eius bona, ſine damno tamen Epiſcopatus, confiſcauit, ab Epiſcopatu eum depoſuit, Eccleſiaſticis confœderatis, & capitulo Cathedrali, alium vt prima occaſione eligerent; mandauit, hoſpitio eum excipere, in noſtra Iuriſdictione prohibuit, in qua, ſi vſpiam comprehenſus fuerit, gladio vt puniatur, & decolletur, nouam inſuper ſententiam pronunciauit.* Celeuſma canite, ô miniſtri iudices; iam enim veſtræ, contra Epiſcopum cauſſæ, victoria, in portu appellit. O prodigium, ſi rubore non colliqueſcitis, ob temerariam adeò præſumptionem: Verebantur ſerui Saul, manus iniicere, in Achimelech, & reliquos eius Cōſacerdotes: At vos Doëgi Idumæi, genuina proles, nec vncti nec ſaliti, vnctos Domini, ſæuiſſima immanitate perſequi, minimè per horreſcitis? Archipresbyterum, in tormentis interfeciſtis, Epiſcopum omnib. exutum bonis, exaucto-

1. Regum 22.

auctoratis, deponitis, ab Epiſcopatu deiicitis, exulatum mittitis, omni humana ope priuatis, & tandem gladij ſententiam, in caput eius pronunciatis? Quo iure? qua poteſtate? qua iuriſdictione, in Epiſcopum, Imperij Principẽ? Vos inquã viles, è ſcurrarum fęce defæcati Logoduli quo nixi fundamẽto tam atrocia, in ſummos Sacerdotes, ſupplicia, decernitis? Homirum ceruices, Tarquinius æſtimabat, vt papauerum cacumina; Cenſoria virga, decutiẽda. Annon vobis idem animus, in Eccleſiæ Catholicæ Põtifices, & Sacerdotes? Non deeſt animus, ſed ſine lege, ſed ſine poteſtate, ſine iuriſdictione, ſine omni Imperatoriarum conſtitutionum reſpectu, quæ Epiſcoporum, cum primis authoritatem, iubent eſſe ſacroſanctam, & ab omni laicali violentia immunem.

Sed, ad quid iſta vobis occino, qui veternoſa libertate veſtra, omnia diuina pariter, & humana iura, proculcatũ itis? Epiſcopum Imperij Principem, ita temerè, ita friuolè, ad gladium ſententiando, in ventos ſeminaſtis, & turbinẽ ignominioſiſſimæ confuſionis, miniſterij veſtri, per vniuerſum Chriſtianum orbem, iampridem demeſſuiſtis, & in Euangelica horrea veſtra, comportaſtis.

CAPVT XXX.

Proceſſus criminales, alijs intentati.

VENIO tandem, ad alios, quos aut cõprehenſos, innumerabilib. ſuppliciis mactatos, interfecerunt, aut virgis cæſos, infamiaque notatos, dignitatib. & officiis omnib. ſpoliarunt, aut bonis omnibus fiſco ſubactis, in exilium relegarunt, aut centenis atque millenis, aliquot, coronatorum, quos vocant aureorum, nummorum, mulctis, per vim extortis, & excul-

catis, inter ſe diuiſis, nouorum afflatu, dogmatum ſyderati iudices, vel potius Quadruplatores Tuſienſes, iniquiſſimè puniuerunt. O infrunitos Hæredes, ô alienorum bonorum, rapaciſſimos æruſcatores.

Damnati ad ſectionem.

Ad ſectionem in quatuor partes, & bonorum omniũ confiſcationem, condemnarunt, Ioannem Baptiſtam de Preuoſt, cognominatum Zambra. Pompeium à Planta, virum Nobilem, egregiéque Catholicum; Rudolphum item eius fratrem, diuitiis, poſſeſſionibus, & arcibus, omni commeatu inſtructis, inter Griſonios, eminentiſſimum Dynaſtam; Ioannem Antonium Giouer, de Colanca; Lucium de Mont. Prouincialem Iudicem, in ponte ſuperiori, confœderatorum, Eorum porrò numerum, quos vel ad laqueum, & patibulum, vel ad gladium, vel ad virgas & lora, publicamq; fuſtigationem, atque ad perpetuam infamiam, exiliumque, lata ſententia, damnarunt tantus eſt numerus, vt iniri facilè non poſſit, ni longiſſimos texendo catalogos, & indices, faſtidioſo, lectorem, tædio, afficere velim, & moleſtare.

Ad laqueum patibulum & alias pœnas. Apolog. fol. 19. pag. 2.

Ad confiſcationem & exiliũ.

Qui omnium bonorum confiſcatione puniti, & exilio inſuper mulctati ſunt, tot numero, & poſſeſſionibus tàm opulenti, ac locupletes extiterunt, vt ex illorum bonis ad tria circiter centena millia aureorum, vti perhibent, Ipſorummet inquilini & conciues, fiſco fuerint ſubacta.

Ad mulctam pecuniariam.

Eorum porrò indicem, ordine ac ſeriatim conſcriptum, qui pecuniaria mulcta piaculum contradictionis, quà ſe, Caluino Venetæ factioni, oppoſuerunt, ſi inſpicias, emunxerunt in ære numerato & in ſpecie, aureos quos vocant coronatos, ab incolis, Italiæ vicinioribus,

Δ. 69933. Et inſuper 19. Hiſpanicos Duplones.

In moneta præterea Imperiali, ab incolis, Germaniæ vicinio-

ciniorib', expreſſerunt itidem, florenorum Rhenenſium nùmeratim itidem exoluendorum,

flor. 96402. & Bacios 2.

Ex quà pecuniæ ſumma, miniſtri iudices, lana & licio, eiuſmodi praxeôn, affatim inſtructi, partem multò maximam, pergræcando, helluando, & abliguriendo, cum meretricibus ſuis, dum iudiciaria poteſtas, anno ferè integro duraret, per iugulum traiecerunt; partem alteram, pro vxorculis, & filiolis ſuis, adhamarunt & aduncarunt, atque in ſcrinia ſua, clancularij Prædones conuaſarunt & congeſſerunt.

Quæris, cur hæc omnia & ſingula, pœnę, mulctæ, exilia, ſupplicia, innnocentiſſimis etiã hominibus, irrogata? Alia non ſuberat cauſſa, quam quod amore Patriæ, publicique boni affectu, inflammati, funeſta aurugine, corruptis, Venetæ atque Caluinianæ factionis, complicibus, nõ condeſcenderent, logo dædalorum Prædicantium, Tigurinis atque Bernatenſibus flabellis, incitatorum, technas & dolos, è latebris in publicum protraherent, antiqua & iurata fœdera colenda, & religioſè ſeruanda eſſe, dictitarent; Et quod totius perſecutionis, præcipuum caput, Catholicam Religionem, qui Catholici erant, conſtanter, atque viriliter, defenderent, ac propugnarent.

CAPVT XXXI.

Epilogus.

EHODVM ô miniſtri, leuioris armaturæ velites & volones, Luhero Zuuingliani, qui velis remiſq; incubuiſtis, vt nauiculam publicę pacis, atq; tranquillitatis, in ſyrtes, & arenoſa, tumultuum atq; ſeditionum crudeliſſimarum, vada, impelleretis,

leretis; Adeſte, inquam, ô formularij concionatores, & ſuccentores verbi, non equidem diuini; ſed Caluiniani, quibus id vnicè cordi, & curæ, à viſceribus Catholicæ matris Eccleſiæ, auulſam prolem, inuoluere ſecundinis, Caluinianæ impietatis; Eſt quod vobis loquar: Ehem orbe toto diffamatis, & ingenti conuitiorum ſtrue, oneratis Ieſuitas, eò quod doceant, omne tyrannicidium, ſubditis licere; quod nunquam ita, vt nequiter traducitis, ab exedra publicarunt. Quid vos in ſanguinario iudicio Tuſienſi? quid in veſtra illa, carnificinæ Orcheſtra, è qua tantum, humani ſanguinis profluuium, emanauit? Cædium Auctores, ô malè Euangelici ſicarij, & adminiſtros agitis; Omni carnifice crudelius, veſtriſmet violentis manibus, mille tormentis, & cruciatibus, miſeros quæſtioni ſubiectos, exercetis, immani barbarie, innocuum ſanguinem, hominum Innocentium, profunditis. quid aliud ſupereſt, quàm vt carnificis officio, integrè ſolideq; aſſumpto, maleficos in patibulo ſuſpendatis, gladio obtruncetis, in partes diſſecetis, in rotas agatis, & crucifragio afficiatis? O nobile miniſterium, LutheroCaluinianorum miniſtrorum: O ſacroſanctam, myſteriorum ZuinglioCaluiniſticorū diſpenſationem. Quid coccyzatis, in Ieſuitas? cur tanta calumniarum mole, innocuos obruitis? Cur quod vos agitis, illis imponitis? Vbi Ieſuita quiſpiam, tale quid deſignaſſe, legitur? auditur? memoratur? Vos ô patibuli Gymnaſiarchæ, non ſolùm practicatis, ſed & exemplo docecetis veſtro, homicidia, ſine omni timore Dei, exercere. Non Ieſuitæ. O pluſquam Turcicam immanitatem, O Diabolicam impietatem: Quis Euangelio credat? quis doctrinæ adhæreſcat, quam ſacrilegi laniones, pro Dei verbo iactitant, & inculcant? O verè dignum, tali patella, operculum, tali inquam miniſterio, dignum Euangelium, q in ZuinglioCaluinianis orgiis, practicatur.

Calumnia in Patres Societatis.

O

O candida, o ſyncera Germanorum pectora, quę Caluiniano hactenus Euangelio, vos addixeratis; Moneo pariter, & per æternam ſalutem veſtram, obteſtor, ſpiſſam oculorum nebulam diſcutite, inania ſpectra, & vmbras, quas lemures Prædicantici, ſuis obtendunt maleficiis, diſpellite, ad cor redite, à nouercalibus Caluiniſmi mammillis, abſtracti, ad vbera orthodoxæ matris Eccleſiæ, quantocyus redite, & ab illis exugite, pie viuendi gratiam, in hac vita temporariam, in altera deniq;, ſalutem æuiternam, Amen.

Ad DEI gloriam, benedictæ virginis Deiparæ, honorem, & Archipresbyteri martyris memoriam immortalem, Amen.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

76